DE ROMANORVM BELLIS SERVILIBVS

Capita selecta.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

CONSENSV ET AVCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

LITTERARVM VNIVERSITATE
FRIDERICA GVILELMA BEROLINENSI

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GEORGIVS RATHKE
BEROLINENSIS.

Promotio sollemnis
habebitur
die 27. mensis Februarii anni MCMIV.

De dissertatione iudicarunt professores
Dr. Otto Hirschfeld et Dr. Eduardus Meyer.

Typis Juli Abel Gryphisvaldensis.
Apud Georgium Nauck (Fr. Rühe) Berolini.

D· M·

PARENTVM

S·

Servorum tumultus graviores neque apud Graecos neque apud Romanos summo culmine fortunae accidisse traduntur; cadentibus publicis rebus subversisque privatis cum miserrimae sortis homines et expertes legum omnisque libertatis gliscente odio servitutis adversus dominos rebellandi consilium saepe caperent, tria acerrima bella servilia Romanis exstiterunt, primum cum Gracchana seditione urbs moveretur, alterum cum Cimbri et Teutones totum imperium evertere conarentur, tertium Sulla dictatore mortuo cum plebes ea quae antea habuerat iura recuperare summopere studeret, foris audacissimi hostes minarentur. Tristem condicionem mancipiorum explanare, debilitatem rei publicae et angustias imprimis militares demonstrare, fortunas belli enarrare et ducum et factionum virtutes aut nequitias alii sunt conati; nos quaestiones quae sequuntur exiguis finibus continebimus: fontes et auctoritatem rerum scriptorum quibus eam memoriam debemus tractare suscipiemus. Quae prior quaestio quasi fundamentum praebet alteri instituendae, scilicet ut recensis fontibus utrum recentioris temporis viri docti res chronologicas quae dicuntur recte tractaverint rerumque ordinem ac successionem bene perspexerint necne videamus.

Prius vero quam in medias res eamus, ne adnotationes uncosve infra cumulemus, pauci libri et dissertationes nominanda sunt, quibus servilium bellorum aut omnium aut unius cuiusvis sive fontes expositi sunt sive aliae res:

De bellis Siciliensibus scripserunt viri docti fere hi:

S. Scrofani: histoire de la guerre des esclaves en Sicile sous les Romains, traduite par J. Naudet. Paris 1807.

K. W. Nitzsch: Die Gracchen und ihre nächsten Vorgänger. Berlin 1847. p. 284—294, p. 331—335.

Otto Siefert: Die Sklavenkriege auf Sizilien. Progr. kgl. Gymn. Altona 1860.

W. Lehmann: Zur Chronologie des ersten sizilischen Sklavenkrieges. Philologus 22, 1865, 711—713.

Isid. La Lumia: I Romani e le guerre servili in Sicilia. Nuova Antologia. Firenze 1872 vol. 20 p. 722—756; vol. 21 p. 24—62; 252—266.

Karl Buecher: Die Aufstände der unfreien Arbeiter 143—129 v. Chr. Frankfurt a. M. 1874.

A. Wilms: Über die Quellen für die Geschichte des 1. Sklavenkrieges. Festschrift Wilh.-Gymn. Hamburg 1885.

A. Wilms: Die Zeit des ersten Sklavenkrieges. Jb. Philol. 151, 1895, 209—216.

J. P. Mahaffy: The slave wars against Rome. Hermathena 7 No. 16, 1890, 167—182.

H. Gensicke: Der zweite Sklavenkrieg auf Sizilien. Progr. Bernburg 1890.

Praeterea conferas: Ad. Holm: Geschichte Siziliens im Altertum III. 1898. p. 104 sq., 397 sq.

De gladiatorum bello scripserunt:

A. G. Meissner: Spartakus. Berlin 1793, ed. II. 1800.

A. Rienzi: La guerre de Spartacus en trois campagnes. Paris 1832 (Hanc dissertationen comparare non potui).

Liebenow: De belli servilis causis et origine. Progr. du collège royal français. Berlin 1838.

Hartwig: Der Sklavenkrieg des Spartacus. Progr. Meiningen 1894.

F. Muenzer: Der erste Gegner des Spartacus. Philologus 55, 1896, 387—389.

Maggipinto: Spartaco. Conferenza storica Napoli (hunc librum non adeptus sum).

Schambach: Der italische Sklavenaufstand 74—71 v. Chr. Progr. Halberstadt 1872.

Addas selecta capita ex amplioribus libris, quibus res gestae Romanorum illustrantur.

Historiam antiquae servitutis enarravit:

H. Wallon: Histoire de l'esclavage dans l'antiquité. II. 1879, 279—324.

CAPUT PRIMUM.

Multi rerum scriptores servilium bellorum memoriam complexi sunt, paucorum libri aetatem tulerunt; quorum e numero quod excerpta Diodori Siculi primas partes habere et gravioris auctoritatis esse quam ceterorum narrationes inter omnes constat, ab illis quaestionem ordiri utile est. Sed antequam fontes Diodori tractemus, ea quae e libris XXXIV. et sequentibus excerptores Byzantini aevi servaverunt, disponenda sunt:

Dindorf[1]) Photi epitomam belli servilis, quam narratio de Antiochi regis oppugnatione Hierosolymorum antecedit, initio libri quarti et tricesimi posuit, adiunxit pauca quae excerptor Escurialensis περὶ ἐπιβουλῶν exhibuit, postremo ut placuit frustatim excerpta περὶ ἀρετῶν et Vaticana περὶ γνωμῶν addidit, in iustum ordinem totam materiam cogere aut res componere neglexit. Tamen facile rem expediri posse iudicamus, praesertim cum de primo tumultus anno deque ultimo fragmenta satis copiosa exstent; namque exordium quod priusquam ipsos motus describeret Diodorus posuit, apud excerptorem Vaticanum p. 100 = § 33 Dind. legimus, quem non sine iudicio Diodori libros exscribere cum saepius tum ex iis apparet quae p. 112—114 de bello Marsico affert. Deinde de magnitudine calamitatis et vastationis quam narraturus est pauca praefatus (videas exc.

1) Diodori bibliotheca historica, ed. Lud. Dindorf, vol. V. Lipsiae 1868 praef. p. XXVI et pag. 85 sq.

π. ἀρετῆς 362 sq. = §§ 25—26 Dind.) ipsam rem aggreditur, de tristi condicione servorum deque superbia dominorum verba facit, qua factum sit, ut per nonnullos annos in conspectu praetorum caedes et rapinae in Sicilia grassarentur; (cf. exc. de virt. 364—366 = §§ 27—32 D. et Phot. epit. §§ 1—4 D). Quae si ratio Diodori fuit Photium de suo adiecisse apparet ea quibus exorditur verba: μετὰ τὴν Καρχηδονίων κατάλυσιν *ἐπὶ ἑξήκοντα ἔτεσι τῶν Σικελῶν εὐροούντων ἐν πᾶσιν ὁ δουλικὸς αὐτοῖς ἐπανέστη πόλεμος ἐξ αἰτίας τοιαύτης. Sequuntur narrationes de Euno Antigenis mancipio (§§ 5—9) et de Damophili Megallidisque crudelitate (§ 10 Phot. = exc. Vat. 100, 101 § 38 D = exc. de virt. 366—369 §§ 34—37 D.), quibuscum optime cohaerent quae mox de initio vasti tumultus accipimus (Phot. §§ 10—15 = exc. Escur. 20, 21 § 24 b Dind. + exc. de virt. 369 § 39 D. + exc. Vat. 101 § 40 D.). — Eleganti deinceps sermone, quod ex excerptis cognoscere liceat, in dies crescens malum Diodorus rettulit: Antiochi nomen Eunum sibi indidisse, regia insignia sumpsisse (Phot. §§ 16—24 = exc. de virt. 369, 370 § 41 D.), ad omnes res exsequendas consilio Achaei cuiusdam usum (Phot. § 16 = exc. Vat. 101 § 42 D.); orientali parte Siciliae paucis diebus sollicitata alterum servum, Cleonem, occidentales regiones ingenti exercitu brevi coacto vastavisse (Phot. § 17 = exc. de virt. 370 § 43 D.). Cum Hypsaeus praetor in insulam mitteretur (Phot. § 18), acerrima seditio arsit, tumultus primus actus, ut ita dicam, confectus erat; itaque Diodorus interrupto narrationis tenore antequam de ipso cruentissimo et diuturno bello servorum narrare pergeret, seditiones fugitivorum, quae in Italia aliisque locis subito erumpebant, tradidit (§ 19 Phot.); quibus celeriter oppressis in Sicilia malum ad immensum auctum est (Phot. § 20), cum multas servi urbes caperent. Inde ab his rebus gestis excerptores nos deficiunt, pauca admodum de expugnationibus

oppidorum nescio quorum servavit exc. Vat. 101 §§ 44—46 D.; de calamitate tamen Siciliensium et de servorum eventu quibus fortuna tam repente mutata esset Diodorum multa verba fecisse videmus; e qua declamatione exiguas reliquias habemus apud exc. Vat. 102 § 47 D. Tum nonnullis additis ad demonstrandum quam turpiter plebes Siciliensis se gesserit (ib. 102 § 48 Dind.) excerptores parci, qui e Fulvi et Calpurni consulatibus nihil nobis reliquerunt; deinde ex anno Rupili pauca exstant apud Photium §§ 20—23.

Res cum ita se habeat fragmenta, tametsi brevia et exigua sunt, cognoscendi facultatem praebent Diodorum prorsus aliter, quam in ceteris bibliothecae libris consuerat, hoc bellum narrasse, cum non solum de causis servorum sed etiam de dominorum luxuria superbia crudelitate aliis eiusmodi rebus elegantissime praefaretur; praecipue prohoemium, summa laude dignum et quo ne nostrates quidem exordii loco uti dubitaverunt velut Wallon p. 279, a Diodori quam alioquin cognoscimus indole longe abhorret. Itaque suo iure viri docti nostrae aetatis non tam ipsi Diodoro quam auctori eius laudem tribuerunt. Sed de hoc Diodori fonte infra verba faciemus.

Nunc strictim excerpta libri sexti et tricesimi, quae de posteriore tumultu Siciliensi exstant, perlustremus; quae maximam partem Photius in recensione codicis 244 servavit, pauca accedunt ex excerptore περὶ ἐπιβουλῶν (p. 22, 23 Mueller), quae idem atque Photius initio excerpti quod modo citavimus exhibent, ut in rerum tenorem facile inserantur; quod excerptor Vaticanus successorem Luculli Servilium nomine affert (p. 111 cap. 9, 2 Dind.) bene evenit, ut errorem quendam Flori emendare possimus; ceterum hoc fragmentum ad eam partem belli spectat, quam Photius paucis attingit, neque aliter excerptor de virt. 608 cap. 11 Dind., quomodo servi et plebs Sicula insulam vastaverint, copiosius

atque plenius narrat quam qui non pauca omisit Photius cap. 6 D.

Reliquum est, quo accuratius in fontes inquirere possimus, ut de fide excerptorum certam opinionem comprehendamus; plurimi enim nostra scire interest, utrum ipsa Diodori verba nobis tradita sint necne. Ac primum quidem Photium qui unus narrationem continuat multa praeterisse constat; nam prioris tumultus Siciliensis res primo anno gestas diserte narrat, tacet de secundo i. e. de consulatu Fulvi; ne ex insequenti quidem Pisonis anno quicquam affert', denique de quarto Rupili, de novis institutionibus et legibus quas Xviri a senatu missi Siciliae provinciae dederunt nihil fere memoriae tradit. Similiter historiam alterius belli eum tractasse cognoscimus quam ubi res primi anni perfecit amplius narrare desiit; pauca deinde de altero, de tertio ne hoc quidem refert, finem belli obiter perstringit. Reliquos excerptores si cum Photio conferimus nullo loco sua pro Diodoreis posuisse videmus; quotiens res extenuant, synonyma et alia eiusmodi omittunt necnon tota cola praetereunt (vid. lib. 34, 2 §§ 1—3 = 27—31; lib. 36, 6 = 11; 2a = 2); quibus vero locis brevitatis causa de quavis re paucis rettulerint, non difficile est intellectu; exempli causa haec commemoramus: 34, 2, 18 καὶ πολλοῖς τοῖς πρὸς Ῥωμαίους πολέμοις ἐνευδοκιμήσαντες ἔλαττον αὐτοὶ ἔπταιον et 36, 10, 1 τοῦ δ'ἐνιαυσίου χρόνου διελθόντος; adice libri 36. totum caput 9, 1. Nonnumquam, quod plurimum valet, ipsius Diodori verba nos habere luce clarius est; sic Photius cum Eunum inducit ipsum nomen non prius affert, quam multa de eo exposuerit: 34, 2 §§ 5, 6, 7, 8 τοῦτο γὰρ τοὔνομα τῶι τερατίαι, quod epitomator prorsus non facit, nisi ipsa auctoris verba tradit: refert simile Nymphodori genus dicendi memorare, quod apud Athenaeum VI 265 d servatur . . . ὁ Δρίμαχος, τοῦτο γὰρ ἦν ὄνομα τῶι δραπέτηι, λέγει κ. τ. λ.

Ceterum offenderit aliquis cum talia legit ut 34, 2, 40 καὶ παρὰ τοῖς οἰκέταις αὐτοδίδακτός ἐστιν ἡ φύσις εἰς δικαίαν ἀπόδοσιν χάριτός τε καὶ τιμωρίας et 34, 2, 41 ὥστε θαυμάσαι τήν τε τῆς τύχης περιπέτειαν καὶ τὸ τὴν κατὰ τῶν εὐτελεστάτων εὐεργεσίαν ἀμειφθῆναι σὺν καιρῶι τηλικαύτηι χάριτι, et quaerat num glossae sint excerptorum περὶ γνωμῶν et περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας. Qui haec de suo non adiecerunt; etiam apud Photium eiusmodi versiones totiens reperimus, ut e Diodoro eas depromptas esse eluceat; cf. 34, 2, 13 ἐξ ὧν ἐδείκνυτο τῶν δούλων οὐχὶ ὠμότης εἶναι φύσεως τὰ γινόμενα εἰς τοὺς ἄλλους, ἀλλὰ τῶν προυπηργμένων εἰς αὐτοὺς ἀδικημάτων ἀνταπόδοσις et legas paragraphum 33, quam Diodori prohoemium fuisse diximus et totas paragraphos 35 et 47; conferas etiam libri 33. caput 8; ceteroquin has declamationes in Diodori bibliotheca mirationem legenti movere non negamus, neque vero excerptoribus sed fontibus tribuendae sunt, de quibus nunciam quaestionem instituamus.

Bake et Carolus Mueller[1]) doctissimi viri Diodorum Posidoni historias exscripsisse primi, nisi fallor, cognoverunt, accuratius rem absolvere et argumenta cumulare neque ipsi studuerunt nec qui postea auctoritatem eorum secuti sunt; recentissimi Alberti Wilmsi dissertationem, quam supra commemoravimus, citasse contenti sunt, qua Muelleri opinionem, nam a Bakio fere nemo repetit, confirmare conatus est; neque quisquam vituperavit, quod uno demum testimonio

1) Bake: Posidoni Rhodi reliquiae cum adnotat. Wyttenbachii. Lugduni Batavorum 1810, pag. 53 sq. Carolus Mueller: Fragm. histor. Graec. III, 257. Toepelmann: De Posidonio Rhodio rerum scriptore. Bonnae 1877. C. Franclin Arnold: Untersuchungen über Theophanes und Poseidonios. Jb. Phil. Paed. voll. suppl. XIII 1884, 75—150. Holm l. c. III, 398 sq. G. F. Unger: Umfang und Anordnung der Geschichte des Poseidonios. Philologus 55, 1896, 73 sq. 245 sq.

nullum praeter Posidoni historias fontem Diodoro fuisse eundemque Livio fluxisse evinci posse credidit; ceterum subsidii causa, id quod laudare non possumus, ad Muellerum Wilms relegat, qui Diodorum ad scribendas res annis 146—96 gestas in universum Posidoni libris usum esse demonstraverit.

Quam argumentationem nonnullis ex partibus supplendam, ex aliis corrigendam esse putavimus, cum maxime de excerptis Diodori Wilms nullum verbum faceret deque oeconomia historiarum Posidoni nonnulla proferret, de quibus dubitare ausi sumus. Optime evenit quod apud Athenaeum XII, 542b ex octavo libro historiarum illud fragmentum servatum est quo nixus eas per totum primum bellum servile explicandum Diodoro ad manus fuisse Mueller suspicari potuit; Wilms propter diversam indolem Posidoni et Diodori idem conclusit. Quisquis libri quarti et tricesimi excerpta oculis perlustrat, quotiescumque Syri inducuntur Diodorum bene peritum esse intellegit; exempli gratia nonnulli loci colligantur: § 5 ἦν δέ τις οἰκέτης Σύρος, τὸ γένος ἐκ τῆς Ἀπαμείας quod scire nullius magis interfuit quam Posidoni Apamensis; itaque multis de hocce Syro narratis postremo § 7 addit: ἔλεγε τὴν Συρίαν θεὸν ἐπιφαινομένην αὐτῶι λέγειν ὅτι βασιλεύσει; paucis post § 16 de Euni concubina dicit haec: τήν τε συμβιοῦσαν αὐτῶι Σύραν καὶ συμπολῖτιν οὖσαν βασίλισσαν ἀποδείξας; multos denique servos e Syria ortos esse, nonnullos e Cilicia comperimus: Sarapion qui arcem Tauromenitanam Rupilio consuli prodit Syrus appellatur, Cleon συνήθης ὢν ἐκ παίδων τῶι ληστρικῶι βίωι § 17 = 43 fraterque eius Comanus § 20 Comanis[1]) in urbe Cappadociae nati in Tauri montibus adoleverunt. Iam non miramur quod Eunum Antiochi nomen

---

1) Hodie el Bostan; cf. Plini nat. hist. 6, 8 et Iustin. novell. 31, 1, 2.

sibi indidisse, servos Syros nominasse § 24, synhedrium Syro more constituisse § 16, mimos Syriacos egisse § 46 Diodori auctori notum fuit; accedunt multi loci quibus Graecum fontem Diodoro fluxisse evincitur velut § 35 ὑπεραίρων τὴν Περσικὴν τρυφήν; philosopham doctrinam rerum scriptoris quem servorum miserere videmus, cum Florus et ceteri odio eorum ardeant, a stoica haud ita abhorrere apparet; sed, ipsum Posidonium — quod miramur ante nos neminem ostendisse[1]) — hoc loco capimus: § 24b ὑπὸ γὰρ τῆς πεπρωμένης αὐτοῖς κεκυρῶσθαι τὴν πατρίδα τὴν Ἔνναν, οὖσαν ἀκρόπολιν ὅλης τῆς νήσου; ut taceam de stoica[2]) πεπρωμένηι, Posidonium in geographico libro, qui „de oceano" inscriptus fuit, Hennam celsum oppidum arcem Siciliensem appellasse Strabo geogr. VI, 273 auctor est: φησὶ δ' ὁ Ποσειδώνιος οἷον ἀκροπόλεις ἐπὶ θαλάττης δύο τὰς Συρακούσσας ἱδρῦσθαι καὶ τὸν Ἔρυκα, μέσην δ' ἀμφοῖν ὑπερκεῖσθαι τῶν κύκλωι πεδίων τὴν Ἔνναν; quin igitur historiis eadem imagine eum usum esse putamus? — Id quoque respicias quod initio tumultus Siciliensis narrato Diodorus seditiones aliis locis ortas inseruit; exstat enim apud Athenaeum VI, 272 e f fragmentum quoddam Posidoni de servis Suni tumultuantibus, ad quod suo loco diligentius redibimus.

Difficilior quaestio est de alterius belli Siciliensis fontibus quam viri docti inique neglexisse videntur. Quid? quod Gensicke p. 14 sq. ad eos qui de priore tumultu scripserunt praecipue Wilmsium provocare non veretur; sed etiam in hoc bello narrando Diodorum Posidoni historias secutum

---

1) Bake pag. 132; Ezech. Spanhem. observat. in hymn. Callim. II, 759 (Ernesti) Lugd. Bat. 1761.

2) Posidonium περὶ εἱμαρμένης scripsisse notum est; quae de fato iudicaverit legas apud A. Schmekelum: Die Philosophie der mittleren Stoa. Berolini 1892 p. 244, 247, 251 sq. de divino furore cf. Barth: Stoa. Stuttgart 1903 p. 55.

esse apparet; e quibus cum reliquias non habeamus fere solo stilo Diodori acquiescere deberemus, nisi non nulla indicia accederent, quibus fontem cum aliqua probabilitate definire licet.

Ante servorum tumultum Siciliensem in Italia plures rebelliones erupisse Diodorus 36, 2, 1 narrat καθάπερ τοῦ δαιμονίου προσημαίνοντος τὸ μέγεθος τῆς ἐσομένης κατὰ Σικελίαν ἐπαναστάσεως. Daemonium et δεισιδαιμονίαν saepe apud Posidonium reperimus[1]); conferas fragm. 2. apud Athen. VI, 274a et fragm. 39. ib. VI, 266f οὕτως αὐτοῖς ἀληθῶς τὸ δαιμόνιον ἐμήνισε πρώτοις χρησαμένοις ὠνητοῖς ἀνδραπόδοις; adde Diod. Sic. 34, 2, 24 b, ubi etiam πεπρωμένη quam supra memoravimus; ib. 47 σύμφορόν ἐστι τῶι κοινῶι βίωι τὴν ἐκ θεῶν δεισιδαιμονίαν ἐντετηκέναι ταῖς τῶν πολλῶν ψυχαῖς.[2])

Ipsas tumultus res gestas ita adornatas videmus, ut omni pagina ut ita dicam prioris admoneamur: iterum Syros et Cilices servis praefuisse legimus 5, 1 γίνεται δὲ τούτων ἀρχηγὸς Ἀθηνίων ὄνομα ἀνὴρ ἀνδρείαι διαφέρων Κίλιξ τὸ γένος,

---

1) H. Diels: Sibyllinische Blätter. Berolini 1890, p. 22: „ein deisidaemonischer Dunst, der an die Manier der γραοσυλλέκτρια erinnert".

2) Praeter hanc doctrinam vere stoicam duae praesertim narratiunculae sunt, quae Posidoni indolem bene demonstrant, altera apud Diod. 36, 13 et Plut. Mar. 17 de Battace et Syria Dea, altera de auro Tolosano apud Strabonem 4 p. 188 et Iustin. ep. Trogi 32, 3, 9 sq., ubi haec scripta sunt: ἡ χώρα πολύχρυσος οὖσα καὶ δεισιδαιμόνων ἀνθρώπων καὶ . . . μηδενὸς προςάπτεσθαι θαρροῦντος . . . = „velut ultor sacrae pecuniae" et Diod. e geographia Posidoni 5, 27, 4 οὐδεὶς ἅπτεται τούτου διὰ τὴν δεισιδαιμονίαν; confer Muellenhoff: Deutsche Altertumskunde II, 306. H. Wilkens: De Strabonis aliorumque rerum Gall. auct. fontibus Marpurgi Chatt. 1886, p. 22, 23, 28. — Adde Plut. vitae Sullae 14: καὶ τὸ δαιμόνιον εὐθὺς ἐπεσήμηνε et Marcell. 20: μηδενὸς δὲ τολμῶντος ἅψασθαι μηδὲ ἀπαντῆσαι διὰ δεισιδαιμονίαν . . .

et Salvius, qui eodem modo [1]) quo Eunus servorum animis miraculis perturbatis regem se facit 4,4; 5, 1. 3. 4, Syrus fuisse videtur, quod infra ad Flori errores explicandos pluribus prosequemur; nunc eum Tryphonis nomen sibi dedisse satis erit commemorasse regaliaque insignia aeque atque Antiochum sumpsisse 36, 7, 4 τήβεννάν τε περιπόρφυρον περιεβάλλετο καὶ πλατύσημον ἔδυ χιτῶνα κατὰ τοὺς χρηματισμούς, καὶ ῥαβδούχους εἶχε μετὰ πελέκεων τοὺς προηγουμένους καὶ τἄλλα πάντα ὅσα ποιοῦσί τε καὶ ἐπικοσμοῦσι βασιλείαν ἐπετήδευε; idem Capuae Vettius facit 2, 4 εἶτα ἀναλαβὼν διάδημα καὶ περιβόλαιον πορφυροῦν καὶ ῥαβδούχους καὶ τἄλλα σύσσημα τῆς ἀρχῆς et Eunus 34, 2, 16 περιθέμενος δὲ διάδημα καὶ πάντα τἄλλα τὰ περὶ αὐτὸν βασιλικῶς διακοσμήσας.

Manus servorum eodem quo triginta fere annis ante impetu totam insulam vastasse, multa oppida cepisse, plurimos cives Romanos trucidasse traduntur; ibi Eunum Syrum et Cleonem Cilicem, hic Salvium habemus et Athenionem Cilicem, qui diversas partes insulae magnis exercitibus occupaverunt; itaque Romanos ubi primum duos duces fugitivis praeesse acceperunt aemulatione eorum bello finem impositum iri sperasse, atque longe praeter spem evenisse 34, 2 17 καὶ πάντων ταῖς ἐλπίσι μετεωρισθέντων ὡς ἀντιπολεμήσει τὰ στασιάσαντα πρὸς ἀλλήλους καὶ αὐτοὶ ἑαυτοὺς οἱ ἀποστάται διαφθείροντες ἐλευθερώσουσι τὴν Σικελίαν τῆς στάσεως παρὰ δόξαν ἀλλήλοις συνέβησαν = 36, 7, 2, πάντες μὲν οὖν ὑπελάμβανον τὸν Ἀθηνίωνα τῶν πρωτείων ἀντιποιήσεσθαι καὶ διὰ τὴν στάσιν τῶν ἀποστατῶν ῥαιδίως καταλυθήσεσθαι τὸν

1) Conferas imprimis 5, 3 προςεποιεῖτο δὲ τοὺς θεοὺς αὐτῶι διὰ τῶν ἄστρων προσημαίνειν ὡς ἔσοιτο τῆς Σικελίας συμπάσης βασιλεύς . . . cum iis quae de Euno accipimus 24, 2, 5 προςεποιεῖτο θεῶν ἐπιτάγμασι καθ' ὕπνον προλέγειν τὰ μέλλοντα et § 7 ἔλεγε τὴν Συρίαν θεὸν ἐπιφαινομένην αὐτῶι λέγειν ὅτι βασιλεύσει.

πόλεμον· ἡ δὲ τύχη, quam scilicet in deliciis habet Posidonius, . . . ὁμονοῆσαι τοὺς τούτων ἡγεμόνας ἐποίησεν.

Plebes Siciliensis, quam priore tumultu servis favisse legimus, altero etiam ipsis fugitivis crudeliorem se praebuit, quamquam frugibus et domibus duces servorum cauti et qui futuris rebus bene providebant parcere voluerunt; Salvius enim τοὺς ἀρίστους ποιούμενος στρατιώτας τοὺς ἄλλους ἠνάγκαζε μένοντας ἐπὶ τῶν προγεγενημένων ἐργασιῶν ἐπιμελεῖσθαι τῆς ἰδίας ἕκαστον οἰκονομίας καὶ τάξεως, ἐξ ὧν καὶ τροφὰς ἀφθόνους τῶν στρατιωτῶν ἐχορηγεῖτο Euni exemplum secutus, qui cives Hennenses omnes necasse dicitur, ὅσοις οὐκ ἦν ἡ τέχνη ὅπλα ἐργάζεσθαι· ἐκείνους δὲ δεδεμένους τοῖς ἔργοις ἐπέβαλεν. De qua re quid plura commemorem? congruentiae enim uberioribus expositionibus Diodori 34, 2, 36, 11, 1 optime illustrantur.

Vix addendum putamus quibus de causis Diodoro Graecum fontem fuisse suspicemur aut quibus rhetoricum aut eum auctorem qui res orientis praecipue Bithyniae bene novit.[1]) Quid multa? Posidoni, ut ad eum tandem progrediamur, usum dicendi unusquisque facile cognoscet et aliis locis Diodori libri sexti et tricesimi et his: 5, 3 προσποιεῖσθαι cf. Athen. V, 214 a, ἀξιόλογος 9, 2; 34, 2, 8. 29. 43; composita verba nonnumquam pro simplicibus, ut καθοπλίζειν pro ὁπλίζειν 2, 4 et 34, 2, 11 = 24b. 30; de daemonio supra diximus; initio libri conatus et insaniam Vetti equitis Romani ubi narrant, excerptor Escur. 22 = § 2a D. ἐπιπλακεὶς δ' αὐτῆι scripsit, Photius 529 = 2,2 D. συμπλακεὶς δ' αὐτῆι; verbo ἐπιπλέκεσθαι [2]) hoc sensu Posidonium in simili narratiuncula usum esse Athenaeus testatur V, 211 e

---

1) Vid. 36, 2, 2 ταλάντων Ἀττικῶν ἑπτά, 6, 1 κακῶν Ἰλίας; conferas 2, 1 quid Nicomedes rex Bithyniae patribus conscriptis responderit.

2) Vid. Diod. 29, 34 D. = exc. de virt. 306 V.

ὅστις Αἰγυπτίαν ὠνησάμενος θεράπειναν ἐπεπλέκετο αὐτῆι. Ceterum deterioribus fontibus fit, ut non cum eadem probabilitate altero quam priore bello historias Posidoni Diodori fontem fuisse concludere possimus; quam difficili igitur scopulosoque loco argumentatio nostra versetur, bene intellegimus.

Praeter Posidonium alterum auctorem Diodorus secutus est, cuius nomen et fidem plane ignoramus et quem uno tantum loco 36, 10, 3 internoscere possumus.

Diodoro Strabonem et Plutarchum adnectimus, non quod praeter illum gravissimi auctores seditionum servorum nobis sint, sed quia fontem ex ipsis cognosci posse opinamur; nam de Floro Obsequente Orosio, antequam eorum relationes cum Livi periochis comparavimus, certa opinio statui nequit.

Strabo geogr. 6, 2 = pag. 265—275 C, quo capite Siciliae insulae situm exponit, pauca de priore bello fugitivorum memorabilia narrat; cuius fontes in uuiversum difficile est discernere, quod plurimis locis, quamquam multos rerum scriptores ad Siciliam describendam eum adhibuisse apparet, ut Hecataeum Antiochum Syracusanum Ephorum Timaeum Artemidorum Apollodorum Posidonium Agrippam, nescio an praeter hos Thucydidem Polybium, tamen libris eorum sic usus est ipse doctissimus vir, ut nonnumquam utrum hunc fontem exscripserit an illum plane ignoremus; accedit quod crebro plures auctores legit, sed nullius narrationem secutus aut vulgarem opinionem protulit, aut id suis verbis expressit, quod omnibus perpensis sincerum ei videbatur. Sed exempla ponantur, quo clarius fiat quid sentiamus.

Initio capitis de variis nominibus insulae verba facit; haec ante eum Hellanicum Thucydidem Philistum Antiochum

Ephorum Timaeum recentiores tractasse cum constet,[1]) quem tandem auctorem ut nomina Siciliae afferret eum exscripsisse affirmare audes? nisi forte tam bene Strabonis rationem nosti quam E. Schweder.[2]) Deinde Naxum et Megara oppida inter Catinam et Syracusas sita esse num repperisse Strabonem apud ullum rerum scriptorem censebimus? immo res ipse turbavit. — Belli servilis mentionem facit paragrapho 6 = p. 272 sq. C, quae est de Siciliae oppidis mediterraneis; Hennam urbem tunc vastatam esse ait, quae Romanis obsidenda fuisset, idem Tauromenium et Catinam passa esse; mox complurium urbium nomina addit, quae ipsius temporibus iam non starent; itaque Romanos ubi primum Siciliam adepti essent in mediterraneis regionibus magnos equorum boumque greges aluisse pastoribusque manicipiis commendasse, quo factum esset, ut primo insula tuta non esset, deinde ingentes tumultus insuper orerentur. Bis idem sic legentes offendimus, abinde quaestio nascitur, quomodo res expediri possit: apparet Strabonem rem sic instituere voluisse, ut cur mediae partes insulae incultae essent demonstraret et urbes olim florentes, quae ipsius temporibus vix vici essent nominaret exponeretque qua fortuna cecidissent; ac primum de una urbe Henna, tum de ceteris agit, quinque nominatim affert. Duobus autem temporibus insulam populatam esse et bello servili et antea; nam sic intellegimus quod priore vastatione paucis memorata ad hunc modum pergit: τὴν οὖν ἐρημίαν κατανοήσαντες οἱ Ῥωμαῖοι κατακτησάμενοι τά τε ὄρη καὶ τῶν πεδίων τὰ πλεῖστα ἱπποφορβοῖς καὶ βουκόλοις καὶ ποιμέσι παρέδοσαν. Nos quandoquidem Punicis bellis Romani Sicilia provincia potiti sunt, Himeram Gelam Callipolim Euboeam Selinuntem Camicos

1) Thucyd. 6, 2. Dion. Hal. antiqu. Rom. 1, 22.

2) Beiträge zur Kritik der Chorographie des Augustus. Kiel 1878 II 82.

oppida Punicis bellis vastata esse concludimus; quod a veritate haud sane abhorret, nam Himeram ab Hannibale obsessam expugnatam direptam esse scimus; Gela a Mamertinis excisa est; Selinuntii multa antea passi Lilybaeum a Carthaginiensibus deducti sunt; Leontinorum fata varia fuerunt et quae afferre longum est, Camicum [1]) proditione a Romanis captum est. Quae cum ita se habeant, Strabonem apud eundem auctorem quo modo illae urbes perierint ac qui eas condiderint legisse suspicamur; quem nostro loco Posidonium fuisse verisimile nobis videtur comparantibus Strabonis verba τὸ μὲν πρῶτον ἐπὶ λῃστείας τρεπομένων σποράδην τῶν νομέων εἶτα καὶ κατὰ πλήθη συνισταμένων καὶ πορθούντων τὰς κατοικίας cum Diodori libri 34. cap. 2, §§ 1—3 = 27—32; neque tamen alterum praeter Posidonium rerum scriptorem de coloniis Strabonem adhibuisse removemus propterea quod eum crebro Ephori Antiochi Apollodori libris ad eiusmodi res enarrandas usum esse ipso hoc capite perspicuum est. Id vero praedicamus Posidonium libro quem de oceano scripsit originem urbium non neglexisse ut Plutarchi vitae Marcelli caput vicesimum docet.[2]) Hoc tantum de Strabone.

Venimus nunc ad Plutarchi vitae Sullae caput 36, de quo quamvis brevissime exponere omni modo intendamus, tamen cum aliqua ubertate disserendum est; qua de causa hanc de Plutarcho quaestionem, cum reliquae expositionis

1) Camicum barbaram urbem a Graecis secerni videmus eodem modo quo vetustiores rerum scriptores de Siciliae situ scripserunt: Scylacis peripl. 13, Thucyd. 6, 2, 6 — 3, 1 sq.; ceterum Scylacis libellum propter Siciliae insulae descriptionem cum Strabone conferre operae pretium est, apud quem si Leontinos urbem nonnulla stadia a mari remotam esse legis, intellegis cur Strabo mediterraneis oppidis Leontinos adiecerit.

2) Enguium oppidum ἵδρυμα Κρητῶν cf. Diod. 4, 79, 5, Cic. Verr. lib. IV § 97.

modum egredi vidissemus — difficile enim est Posidonium ibi cognoscere — infra totam dissertationem posuimus.

Sequitur ut quibus fontibus ad bella servilia in Sicilia gesta enarranda T. Livius usus sit inquiramus; quod fieri non potest nisi de epitomatoribus eius coniecturam facimus, quae satis probari non potest, sed cui argumenta nulla obstant: Florum enim et Orosium solum Livium secutos esse suspicamur Valeriumque Maximum eas quas ex primo fugitivorum tumultu affert narratiunculas soli Livio debere; quam coniecturam quamquam omnes viri docti quod sciamus fecerunt neque a veritate eos aberrasse verisimile est, tamen ut coniecturam respiciendam esse monere placuit.

Wilms qui l. c. de scriptoribus prioris tumultus Siciliensis — alterum deinceps tractabimus — scripsit, e numero epitomatorum Valerium Maximum neglexit, credo, quod fontes Livi ex eo concludi posse negavit; qua de re cur aliter sentiamus infra docebimus, nunc unam e quinque Valeri narratiunculis e Livio pendere praestat memorare, dico illam qua Titium praefectum equitum a Calpurnio Pisone consule multatum esse 2, 7, 9 tradit et quam Livio eum debere vel eo probatur quod idem apud Frontinum strategem. 4, 1, 26 legimus; nec altera quaedam narratio quae de illo Pisone est 4, 3, 10 ad alium fontem spectare videtur. Restant paragraphi 2, 7, 3; 6, 9, 8 et 9, 12, e 1 de quibus ea quam diximus coniectura valet.

Flori epitomam tractare omitteremus, nisi Wilmsium falso de ea cogitare putaremus; sic enim ille pag. 22 sq.: pigere Florum nomina praetorum affere quos fugitivi vicerint neque consules illum omnino nominare sed ceteris neglectis a praetoribus ad eum confugere cuius opera bello finis impositus esset Rupilio, pro quo consule falso Perpernam

afferret. Hoc Wilms non lepide; nam taedium servorum artem rhetoricam redolet neque consulto ad ultimum annum Florum properare e falso nomine Perpernae concludi potest. Udalricus Koehler [1]) nimio brevitatis studio saepissime eum lapsum esse vidit, „quod in causa fuisset ut diversos homines et tempora mire confunderet". Nostro loco quomodo in illum errorem inductus sit non difficile est intellectu; nam Florus postquam usque ad verba „proelio ipsi sequebantur" Livi librum 56 exscripsit, eum qui sequitur, quippe quo Hispanienses res gestae relatae essent, praeteriit; praeteriit etiam librum 58, venit ad proximum ubi iterum de bello Hispanico praefatus Livius duorum tumultuum servorum finem narravit et Siciliensis et Syrii; hoc ipso loco Florus erravit cum praeter Rupilium Perpernam reperiret qui item cum servis debellavit, nempe Heliopolitanis Aristonici, erravit in nominibus Antiochi regis et Aristonici, quod eo facilius fieri potuit quia similis utriusque belli exitus fuit; conferas velim haec: „hic enim victos et apud Hennam novissime obsessos cum fame quasi pestilentia consumpsisset reliquias . . . punivit" cum iis quae Orosius 5, 10, 5 tradit: „cumque Stratonicen urbem ad quam ille confugerat obsidione cinxisset trucidatum fame ad deditionem coegit". Facillime Florus qui nonnumquam celerrime et sine diligentia epitomam bellorum composuit illic haerere potuit; habemus ultimas necessitates: gravi proelio consules mancipia vincunt, Rupilius Antiochum Aristonicum Perperna; servi in proximum oppidum hi Hennam illi Stratoniceam confugiunt; mox consules urbem oppugnant, fame obsessos graviter vexant, tandem expugnatis receptaculis tumultus fere exstincti. Hoc modo si Florum Perpernae nomen surripuisse iudi-

1) Qua ratione T. Livi annalibus et c. Dissert. Gotting. 1860, p. 27

camus, L. O. Broeckeri [1]) qui, cum ceteri levitatem tantum in Floro reprehendant, unus errorem interpretari studuit coniecturam abnuimus.

Etiam ad exordium narrationis quo primum tumultum servilem Florus inter initia urbis exstitisse exponit Wilms nos vocare omisit, immerito, neque enim dubium est, quin T. Livius, qui libri III. cap. 15, 5 — 18, 11 Herdoni Sabini facinora narraverat, cum bella servilia explicaret ad illa reiecerit; inde Flori notitia.

Proximus est locus Orosi qui item Livi annales exscripsit; quibus eum ita usum esse Wilms dixit, ut contra Florum, quem praeter Livium inspexisset, quodammodo pugnaret; praeterisse igitur Orosium quae Florus tradidisset, rettulisse de iis quae ille tacuisset, neque aliam rationem eum habuisse pag. 23 iudicavit nisi cavendi ne crimen ad verbum exprimendi Flori sibi exsisteret. Quod argumentum nobis quidem valde displicere confitemur; nam quid cogitat Wilms de veteribus rerum scriptoribus! consulum nomina cur Florus omiserit modo diximus, cum tumultibus in metallis Atheniensium et Deli aliisque locis ortis eadem res est, Herdonium commemorare nihil interfuit qui ante CCCXXV fere annos senatum terruerat; sane mirum videtur, cur nunc Flori vestigia premere Orosius dubitaverit, quo alioquin uti non veritus est.[2]) Sed haec hactenus, nam de ceteris omnibus quantum ad Orosium cum Wilmsio consentimus atque imprimis laudandum censemus quod pag. 23 res gestas quomodo apud Orosium

1) Pauli Real Encycl. V, 1356 Nr. 3; Aquillium consulem 119 qui Perpernae successit cum illo Aquillio cos. 101 mutatum esse Broecker putat, quem secutus est Klein: Die Verwaltungsbeamten von Sizilien und Sardinien. Bonn 1878, pag. 51.

2) Koehler p. 45.

successerunt cum periochis Livianis composuit, ut hac re eum ad chronologiam definiendam haud prospere usum esse cum vidissemus valde mirati simus; quod iam amplius tractabimus, nunc pergimus ad Livium.

Ut de Romanis belli servilis auctoribus in falsam opinionem Wilms adductus est, sic praecipue Livio nonnulla imputavit quae comprobare vix potis est; de iis enim quae apud epitomatores Florum Orosiumque negleguntur etiam Livium tacuisse inconsultius vir doctus conclusit Diodori narrationem a Romanorum rerum scriptorum, qui cum ira et studio servos ut infimae sortis homines condemnassent, imprudentia et ignorantia longe abhorrere passim professus. Certo sic fecit Florus, fecit Orosius, sed Livi exemplo eos hoc fecisse Wilms fabulatur magis quam argumentatur (pag. 22,15—20. 24,20. 24,4 a fine); nam qui solius Posidoni auctoritatem Livium secutum esse vult comprobare, is, cur latifundia et fata servorum ille praeterisse putandus sit, certis argumentis demonstret necesse est; nos qui e tribus uberrimis libris 56, 58, 59 pauca admodum restituere possumus eiusmodi quaestionis periculum facere non ausi Wilmsi sententiam non collaudamus.

Utinam fontes Livi indagare maluisset, nam solum Posidonium vix exscripsit, quamquam eum et multa alia illi debere concedimus et totum ordinem et conexum rerum inde sumpsisse adversus Ungeri opinionem non rectam demonstrabimus. Bono consilio duo Valeri Maximi loci modo a nobis perceusi sunt, qui ut Valerio Livi annales suppetivisse ita illi Pisonis libros prae manu fuisse ostendunt; nescio an etiam Fanni[1]) historia usus sit, e qua duo fragmenta

1) Fragm. 2 Peter: C. Fannius annalium VIII: Domina eius ubi ad villam venerat iubebat biber dari — Charis I 124 Keil; fragm. 3 Peter: C. Fannius in VIII annali Drepanum modo, modo Drepana appellat. — Schol. Veron. ad Verg. Aen. 3, 707; Peter rel.

octavi libri ad priorem tumultum Siciliensem pertinere videntur. De Sempronio quoque Asellione[1]) cogitari potest. Tamen in fundamento tam debili coniecturas ponere veremur; sufficit duo argumenta commemorasse, quibus Livio praeter Posidonium alios fontes, unum vel plures, fuisse veri similius fit: Unum supra attigimus, cum Flori fontes tractaremus, est vero hoc: „primum servile bellum inter initia urbis Herdonio duce Sabino in ipsa urbe temptatum est, cum occupata tribuniciis seditionibus civitate Capitolium obsessum est et a consule receptum; sed hic tumultus magis fuit quam bellum." Quam narratiunculam Diodorum non protulisse ex iis quae de indole excerptorum diximus apparet; sed etiam dubia si fides eorum esset, Posidonium Apamensem philosophum antiquitatum Romanarum memoriam refricaturum fuisse nobis minus simile veri visum est; quam ob

---

CCVI librum annalium octavum ita citatum esse dicit, ut quid eo expositum sit nesciamus. Nos si coniecturae periculum facimus, aut propter Drepani urbis nomen fragmenta de primo bello Punico esse iudicabimus aut de bello quodam servili; illud quidem Ottoni Hirschfeld (Die Annalen des C. Fannius, Wien. Stud. VI, 1884, p. 127) magis placuit, cui adstipulatus est M. Schanz (Roem. Litt.gesch. I, § 71, 6), quod quae sors Drepani oppidi Punico bello fuerit notissimum est; sed incerti unde historias narrare Fannius orsus sit, praesertim cum omnia fragmenta annalium, quantum cognoscere licet, de rebus annorum 149 usque ad fere 130 esse videantur, praeterea servus quidam fr. 2, P. et L. Rupilii fr. 6 inducantur, dubitamus an fugitivi quondam urbem vi ceperint oppugnarintve. Ceterum ad Gracchanae seditionis historiam Fannio posterioris aetatis scriptores plurimum debere nuperrime Kornemann comprobare studuit (Zur Geschichte der Gracchenzeit. Leipzig 1903, p. 20 sq.).

1) Cf. K. Nipperdey: Zur Geschichte der römischen Historiographie. Philol. 6, 1851, 131 sq., Nr. 2. W. Soltau: Plutarchs Quellen zu den Biographien der Gracchen. Jhrb. Phil. Paed. 153, 1896, 357 sq.

rem Livium hoc aut de suo addidisse aut apud auctorem quendam Romanum per occasionem Eunianae seditionis commemoratum invenisse arbitramur. Certius argumentum ea praebent, quae de multitudine servorum traduntur, numerisque vere nonnihil comprobari quis est quin sciat? Secundum Diodorum quadringenti cum Euno coniurant § 11; is decem milibus ubi primum regem se appellavit praefuit, antea sex milibus § 16, dum Cleon quinque milium hominum exercitum interim colligit § 17; sed Hypsaeo praetore Roma a senatu misso ambo duces iam viginti milibus praesunt, paulo post ducenta duxisse § 18 traduntur. Apud Livium diversos numeros fuisse videmus: Eunus cum duobus milibus coniurat, mox refractis ergastulis sexaginta cogit, Cleon septuaginta milia; Piso consul Mamertio oppido expugnato octo milia trucidavit, item Rupilius viginti milia cum Tauromenium et Hennam cepisset; quam differentiam ut explanemus, praeter Posidonium alterum fontem Livio fluxisse ut coniciamus[1]) adducimur.

Sed de fontibus quos in primo fugitivorum bello explicando Livium secutum esse aut scimus aut opinamur satis iam verborum; ad alterius historiam cognoscendam et Orosius nos deficit neque subsidio sunt periochae Livianae et Flori epitomae, quae una Livi loco nobis est, concentus cum Diodori libro sexto et tricesimo statuere difficile est; primum enim eo offendimur, quod de Athenione quidem pauca Florus narrat, Salvi Tryphonis ne mentionem quidem facit; deinde non Servilio quem primum nominat, sed Nerva praetore bellum geri coeptum est: tum „a Syro ad Cilicem rem isse“ mirationem movet; postremo „capta esse Servili castra capta Luculli“ suspicionem affert, si Lucullus Servilio successerit. Quibus de causis viri docti iterum Florum reprehenderunt, qui ineptissime rerum ordinem invertisset, neque

1) Aliter Unger concludit l. c. pag. 88.

causam erroris explicare intenderunt; quid? quattuor una lenissima coniectura difficultates submoveri posse putamus: agedum, si non Flori sed ipsius Livi verba erant „a Syro reditur ad Cilicem", apud illum Salvium subaudimus Syrum; nam ita qui sentit, cur Servilium praetorem non Nervam Florus nominarit, iam intellegit, cum Servilio Siciliam provinciam gubernante Salvius Trypho mortuus sit et, quem propter diffidentiam custodierat, Athenio imperium servorum acceperit; sic enim Diodorus 36, 9, 1: τελευτήσαντος δὲ Τρύφωνος διάδοχος τῆς ἀρχῆς ὁ 'Αθηνίων καθίσταται καὶ τοῦτο μὲν πόλεις ἐπολιόρκει τοῦτο δὲ πᾶσαν τὴν χώραν ἀδεῶς κατέτρεχε καὶ πολλῶν ἐκυρίευσε τοῦ Σεροιλίου μηδὲν ἀντιπράττοντος. Quae si ita sunt, duos priores belli annos Florus omisit, e tertio demum occepit Livium exscribere non maiore ea diligentia qua, cum de priore bello ageremus, duos annos Fulvi et Pisonis ab eo neglectos esse vidimus. Luculli cladi similem Servili fuisse apud Livium repperit, a quo hoc quoque petivit, quomodo Athenio regem se ornaverit; itaque de illo mancipio Livium non antea quam in locum Salvi successit narravisse suspicari licet.

Fontes Livi quis definire audebit? Posidonium etiam ad alterum tumultum Siciliensem describendum ab eo compilatum esse propter Flori brevitatem non satis constat; cuius narrationem 2, 7, 9—10 qui cum Diodori verbis 36, 5, 2 comparat Posidonium apud Livium licet subaudiat, equidem tam debili in fundamento coniecturas ponere vereor; sed ubi de exitu servorum narravit[1]), Posidoni potius auctoritate quam alterius fontis Diodori Livium moveri dicas; ceterum complures rerum scriptores, ut plerumque materiam Livio praebuisse coniciendi copia est.

Unus reliquus est de quo agamus Dio Cassius; quem

1) Flor. 2, 7, 11—12 = Diod. 36, 10, 2—3 quo loco excerptor alteram narrationem servavit, Posidoni modo perstrinxit: vid. pag. 13.

ultimo loco posuimus, quia e primi belli servilis narratione eius nullum fragmentum exstat, ad alterum fere solum spectat fragm. 93, quod e libro septimo et vicesimo excerptores servaverunt; ne Zonaras quidem in censum venit. Quo exiguo frusto quamquam quos auctores Dio habuerit nullo modo indagari posse elucet, — hoc conari insania est — tamen textum cum Diodori paragraphis 2—3 libri 36, 3 componamus:

D. S. 36, 3, 2—3.	D. C. 27, 93.
1. τότε κατὰ τὴν Σικελίαν ὢν στρατηγὸς Λικίνιος Νερούας	1. Πούπλιος Λικίννιος Νερούας στρατηγῶν ἐν τῆι νήσωι καὶ μαθὼν ὅτι οὐκ ἐν δίκηι τινὰ περὶ τοὺς δούλους γίγνοιτο
	2. ἢ καὶ λημμάτων ἀφορμὰς ζητῶν, καὶ γὰρ ἦν οὐκ ἄδωρος,
3. ἀκολούθως τῶι δόγματι συχνοὺς τῶν δούλων ἠλευθέρωσε κρίσεις προθείς, . . .	3. περιήγγειλεν ἀφικνεῖσθαι πρὸς ἑαυτὸν πάντας τοὺς αἰτιωμένους τι τοὺς δεσπότας σφῶν, ὡς καὶ βοηθήσων αὐτοῖς.
4. καὶ ἦσαν πάντες οἱ κατὰ τὴν νῆσον δουλεύοντες μετέωροι πρὸς τὴν ἐλευθερίαν.	4. ἐξ οὖν τούτου καὶ ἐκείνων τε πολλοὶ συνιστάμενοι
	οἱ μὲν ἀδικεῖσθαί τι ἔλεγον,
	οἱ δὲ καὶ ἄλλο τι τοῖς δεσπόταις ἐνεκάλουν
	νομίζοντες καιρὸν εἰληφέναι τοῦ πάντα ὅσα ἐβούλοντο πρὸς αὐτοὺς ἀναιμωτὶ διαπράξασθαι.
5. οἱ δ' ἐν ἀξιώματι συνδραμόντες παρεκάλουν τὸν στρατηγὸν ἀποστῆναι ταύτης τῆς ἐπιβολῆς.	5. καὶ οἱ ἐλεύθεροι συμφρονήσαντες ἀνθίσταντό σφισι καὶ οὐδαμῆι ὑφίεντο.
	φοβηθεὶς οὖν ὁ Λικίννιος τὴν σύστασιν αὐτῶν ἑκατέρων, μὴ καὶ μέγα τι δεινὸν ὑπὸ τῶν ἐλαττωθέντων γένηται,

2. ὁ δὲ εἴτε χρήμασι πεισθεὶς εἴτε χάριτι δουλεύσας τῆς μὲν τῶν κριτηρίων τούτων σπουδῆς ἀπέστη	
6. καὶ τοὺς τυχόντας ἐπὶ τῶι τυχεῖν τῆς ἐλευθερίας ἐπιπλήττων, εἰς τοὺς ἰδίους κυρίους προςέταττεν ἐπαναστρέφειν	6. οὐδένα τῶν δούλων προςεδέξατο, ἀλλ' ἀπέπεμψεν αὐτοὺς ὡς μηδὲν κακὸν πεισομένους ἢ μηδέν γε ἔτι ταράξαι τῶι διασκεδασθῆναι δυνησομένους. οἱ δὲ δείσαντες τοὺς δεσπότας, ὅτι καὶ τὴν ἀρχὴν ἐπικαλέσαι τι αὐτοῖς ἐτόλμησαν,
7. οἱ δὲ δοῦλοι συστραφέντες . . .	7. συνεστράφησαν καὶ
8. διελάλουν πρὸς ἀλλήλους ὑπὲρ ἀποστάσεως	8. κοινολογησάμενοι πρὸς λῃστείας ἐτράποντο.

numeris appositis textus facile comparantur, quos praeter illud συστραφέντες et συνεστράφησαν eadem aut similia diversis verbis significare videmus; quam ob rem Diodorum quidem a Dione non exscriptum esse pro certo habetur, sed in dubio est num Romanus ei auctor fuerit, qui ipse e Posidonio aut e Diodoro pependit; quae si ita se habent, Dionis auctor praecipue integritatem Nervae in suspicionem adducere voluit; quod evinci tamen nullo modo potest. De altero fragmento 94 Boiss., quo Macellam oppidum prope Messanam situm Athenionem munivisse docemur, suo loco, cum ad chronologicas res belli pervenerimus, verba faciemus.

CAPUT ALTERUM.

Deinceps ut est propositum de temporum ratione dicatur, quam multis dissertationibus[1]) definire conati viri docti, quot anni a Carthagine deleta ad Fulvi consulatum intercesserunt, tot coniecturas de initio belli Siciliensis ceterarumque quae una accidebant seditionum protulerunt; quam ob rem antequam de singulis quaestionibus quae nobis occurrunt loquamur, pauca in universum de varietate opinionum dicantur. Nam Eunum anno a. C. 141 servos ad defectionem compulisse Fischer et Carolus Mueller et Clinton putaverunt, quos secuti sunt Dindorf Klein Neumann Mahaffy Wilms; Siefert de insequenti anno cogitat, cum Peter et Holm aut anno 139 aut 138 seditionem ortam esse dicant; Lehmanno neque hoc neque illud certum, Zumpt (et La Lumia) ipsum bellum a. 135 geri coeptum esse suspicatur, de insequenti dubitat Mommsen, cum minores motus per nonnullos annos insulam perturbasse uterque concedat; Unger novis argumentis nisus annum 137 vel proximum proponit. Item praetores qui in Sicilia adversus fugitivos pugnaverunt alii aliis annis tribuerunt, Popilium, ut exemplum afferamus, anno 139 praetura Siciliensi functum esse Lehmann Zumpt Klein Holm arbitrati sunt, contra anno fere 135 Mommsen,

---

1) Vid. libros quos supra nominavimus et hos: E. W. Fischer: Röm. Zeittafeln. Altona 1846. Clinton: fasti Hellenici. Oxford 1851. C. Th. Zumpt: annales veterum regnorum et populorum . . . tertium editi ab A. W. Zumptio 1862. Carl Peter: Zeittafeln der römischen Geschichte ed. 6. 1882.

Wilms; et eos quos Florus exhibet praetores Manlium Lentulum Pisonem Hypsaeum hoc epitomatoris ordine mutato annis 138 insequentibus addixerunt Lehmann Klein Holm, uno anno variatur sententia Ungeri; contra Wilms propter Diodori narrationem Hypsaeum serie exemptum anno 139 attribuit; sed haec hactenus.

Hanc tantam discrepantiam ex inopia fontium natam esse unus quisque facile intelleget; sed accedit quod plerique quos nominavimus viri docti uno eodemque modo, quantum perspici potest, difficultatem auferre intendunt: tres enim consules per singulos annos bellum in Sicilia gessisse quasi pro fundamento habent; quibus postquam quattuor annos praetorum e Flori auctoritate addiderunt, Popilium insuper recipiunt, quamquam non desunt qui dubitantes, num recte Pisonem epitomator praetorem induxerit, unum annum detrahant. Iam ad libidinem in singulos annos singulos praetores disponunt, Popilium aut ceteris anteponunt aut postponunt, ordinem praetorum qualem Florus praebet invertunt, denique, quod maxime reprehendendum videtur, fere nullam rationem habent, quibus annis veteres rerum scriptores bellum servile fuisse sumpserint.

Quamobrem praecipue ex hac parte quaestionem instituendam esse putavimus. Et primum quidem, ut a facillimo ordiri aequum est, de Livio exponamus, deinde ad Diodorum pergamus, postremo si idem hunc atque illum tradere modo apparebit, Posidoni historiae in iudicium vocabuntur:

Tribus libris scilicet 56 et 58 et 59 Livius bellum servile enarravit, quorum e periochis prima hoc praebet: „bellum servile in Sicilia ortum cum opprimi a praetoribus non potuisset C. Fulvio cos. mandatum est; huius belli initium fuit Eunus . . .“; fides periochae confirmatur his verbis Iuli Obsequentis 27, 86: „P. Africano C. Fulvio coss. . . . fugitivorum bellum in Sicilia exortum, coniuratione servorum

Italia oppressa“. Quid? abhorrere dicis Orosium 5,9,4? „orta praeterea in Sicilia belli servilis contagio multas late infecit provincias, nam et Minturnis . . .“, sed quem annum significaverit, quod antea de morte Tib. Gracchi deque Attali regis testamento verba facit, praeter ullum dubium est; itaque hoc loco non sextum sed octavum et quinquagesimum annalem Livi respicit. Sextum et quinquagesimum librum, de cuius periocha et epitomatore Obsequente res agitur, trium annorum historiam continere scito: nam anno 136 Brutum cum Callaecis, Lepidum adversus Vaccaeos pugnavisse Obsequens 25, 84 additis consulum nominibus tradit, idemque 26, 85 proximo anno Numantiae res male gestas esse confirmat; qua propter etiamsi anni 134. consulum nomina non posuisset, tamen hoc anno bellum de Livi opinione geri coeptum esse concluderemus.

Sed tumultus iam pridem fuerunt! Sane, quos uno anno ante exstitisse aperte Orosius 5, 6, 3 dicit: „Servio Fulvio Flacco Q. Calpurnio Pisone consulibus . . . in Sicilia bellum servile ortum est, quod adeo grave . . . fuit . . .“; ex hoc igitur anno tumultus Siciliensis aetatem Livium repetere luce clarius est neque commodo fuit, quod viri docti rationem eius parum habuerunt; namque non solum consulum nomina Orosius affert, sed etiam Aetnae eruptionem, quasi futuras calamitates insulae portenderet, antecessisse narrat; quam bis illis temporibus flammis abundasse constat, primum anno 140, iterum a. 135, quo ut Obsequens 26, 85 memoriae prodidit, maioribus solito flammis arsit. Quae cum optime congruant coniecturis spatium non relinquitur, nisi forte rerum scriptorem quendam, quo magis animos moveret, res ita disposuisse credis, ut bellum servile quod per multos annos iam fuisset cum Aetnae eruptione componeret; quod si iudicas, opponimus, quin ostenta quae antea fuerunt iste elegerit, quin incendium Regi urbis servorum tumultus et caedes significasse tradiderit.

Uberius de Diodoro pro materiae multitudine agendum est, quem cum Livio funditus consentire mox videbimus: Μετὰ τῶν Καρχηδονίων κατάλυσιν ἐπὶ ἑξήκοντα ἔτεσι τῶν Σικελῶν εὐροούντων ἐν πᾶσιν ὁ δουλικὸς αὐτοῖς ἐπανέστη πόλεμος ἐξ αἰτίας τοιαύτης principio excerpti apud Photium legimus; quae verba Photio magis quam Diodoro tribuenda esse docuimus; sed etiam si Photi sunt, parum polite dicta esse videntur nec nimis apte conformata ἐπὶ ἑξήκοντα ἔτεσι, quia dativum post ἐπὶ tenere — id quod multis quidem placuit — liberius videtur, quam quod probemus, ut Ungero adstipulemur, qui έ litteram ante ἐπὶ ἑξήκοντα interisse putat l. c. pag. 101 sq. Itaque Siciliam ubi primum pacata est per sexaginta quinque annos prospere floruisse Photius tradit, quam scilicet secundo bello Punico confecto nulli hostes vastavissent. Sed Hannibalicum bellum subaudiendum esse negat Buecher p. 122: vix quemquam esse, quin illis μετὰ τῶν Καρχηδονίων κατάλυσιν excidium Carthaginis urbis significari crederet; attamen hoc argumentum a fide abhorret, quod Photi qui narrationem de statu Siciliae insulae paucis comprehendere vult sicut ipsius Diodori e Carthagine deleta minus intererat quam ab altero bello Punico annos numerare.[1]) Ceterum tredecim lustris ad annum fere 136 pervenimus.

Neque vero de excerptore quaestio esto, sed de ipso Diodoro; hunc bellum servile Siciliense simili seditioni quae in Asia fuit comparasse videmus, cum hoc in praefatione diceret: τὸ παραπλησίον δὲ γέγονε καὶ κατὰ τὴν Ἀσίαν κατὰ τοὺς αὐτοὺς καιροὺς Ἀριστονίκου μὲν ἀντιποιησαμένου τῆς μὴ προςηκούσης βασιλείας, τῶν δὲ δούλων διὰ τὰς ἐκ τῶν δεσποτῶν κακουχίας συναπονοησαμένων ἐκείνωι καὶ μεγάλοις ἀτυχήμασι

1) Ne antecessisse quidem apud Posidonium narrationem de Siciliae rebus satis uberam cum Buechero p. 123 conicere necesse est.

πολλὰς πόλεις περιβαλόντων; quae cum ita sint Diodorum, sive mavis Posidonium, initium tumultus Siculi hoc modo definire contentum esse elucet, veluti Appianum quando Ti. Gracchus occiderit sic tradere legimus b. civ. 1,17 καὶ τάδε μὲν ἦν ὅτε Ἀριστόνικος Ῥωμαίοις περὶ τῆς ἀρχῆς ἐπολέμει τῆς ἐν Ἀσίαι. Haud raro denique rerum scriptoribus placuit, ut ea quae in diversis provinciis facta sunt compararent, sive res inter se coniunctae erant, sive adversae; qua ratione alterum bellum servile Diodorus 36, 3, 1 sic narrare incipit: κατὰ τὴν ἐπὶ τοὺς Κίμβρους τοῦ Μαρίου στρατείαν κ. τ. λ.

Praeter has quas dixi nulla certa temporis indicatio nec integra nec interpolata apud Diodorum exstat; qua de causa nunc in ipsam descriptionem tumultus nobis inquirendum est neque aliud quaeritur, nisi quo anno Eunus cum sodalibus seditione facta contra Romanos pugnare coeperit. Qui cum tribus diebus, postquam impetu repente facto Hennam urbem occupaverat, cum sex milibus servorum praetoribus Romanis resistere iam non dubitaret brevique post decem milibus coactis Romanos saepe aggressus nonnumquam vinceret, Cleon Cilix altero tumultu moto quinque milia hominum collegit, tricesimo die copias cum Euno iunxit: ἡμέραι δ' ἐγγὺς ἦσαν ἀπὸ τῆς ἀποστάσεως τριάκοντα § 17; quibus verbis praesertim cum celerrime maximum exercitum servorum duces conflavisse asseveret Diodorus, qui ubi primum L. Hypsaeus Roma venisset viginti milia hominum servos ei opposuisse et paulo post decies tanto maiore exercitu Siciliam vastavisse dicit, quin de Euni defectione cogitaverit, vix dubitari potest. Hoc ipso loco interrupta narratione, priusquam ceteras in Sicilia gestas res describere pergeret, de rebellionibus quae in diversis provinciis ab Siciliensis mali fomite, ut Orosi verbis utar, quasi seminatae essent rettulit. Optime igitur Diodorum cum Livio convenire non solum seditiones servorum quibus non ante

annum 134, quod infra videbimus, Italia et Attica et insulae Graeciae occupatae sunt, demonstrant, sed confirmat etiam nomen Plauti Hypsaei quem suo iure in numero praetorum qui tumultus Sicilienses exstinguere non potuerint ultimum Florus notat; quid? plerique viri docti, cum Hypsaeum primum aut secundum ducem fuisse qui cum Euno bellum gessisset e Diodoro satis elucere intellegerent, ut Flori beneficio omnes quattuor praetores cum Euno pugnasse omnibus modis efficere studerent, hunc ordinem praetorum inverterunt. Nos Hypsaeum a senatu, simulac gravitas seditionis Romam nuntiata est, ut medio anno collegae qui eam sortitus erat succederet aut praeficeretur, in provinciam missum esse quod apud Diodorum legimus mordicus tenendum censemus.

Cum Hypsaeus et qui antea praetura Siciliensi functus est Calpurnius Piso „bellum servile in Sicilia ortum opprimere non potuissent", (Liv. ep. 56) patres C. Fulvio consuli anni 134 provinciam mandaverunt; quo efficitur ut anno 135 illi quos nominavimus duo praetores eam rexerint alter ex sorte alter quem mensibus nescio quot peractis propter belli periculum senatus miserat; eodem anno Eunum defecisse, mox in dies tumultum auctum esse manifestum est.[1])

Haec quae sola interpretatione reliquiarum Diodori et Livi concludi possunt omnibus coniecturis virorum doctorum tutiora nobis videntur; itaque eorum consilio in praetorum nominibus annorum rationem exstruendam non esse apparet, cum maxime Wilms iudicio constantissimus iis quae uno anno gesta esse traduntur sex vel septem annos ita expleret, ut Diodori narrationem §§ 10--18 duobus vel tribus annis dispertiret et deinde e quattuor proximis annis nihil nisi nomina aut victorum aut invictorum praetorum servata esse crederet.

1) Diodori libro 33 qui huic praecedit res usque ad annum minime 136 deductas esse, libro autem 34 nullam rem inveniri quae ante annum 135 facta est commemorare libet.

Dixerit quispiam, quidnam de ceteris praetoribus Lentulo Manlio Popilio cogitandum esse arbitremur; quorum nomina difficultates iam non praebent. Primum enim iniuria Popilius[1]) ceteris non alia de causa adiungitur quam quod in lapide quodam haec incidi iussit: „praetor in Sicilia fugiteivos Italicorum conquaeisivei redideique homines DCCCCXVII“, quod quanto plures eiusmodi tituli aliorum praetorum exstarent, tanto plures annos in Sicilia bellum fuisse suspicari necesse esset; itane vero? si praeter hunc titulum alter nunc innotesceret, omnes qui praetorum nominibus nisi sunt ut statim coniecturas instaurarent cogerentur; quae ratio quo nos abripiat facile intellegitur.[2]) Tum, quod nongentos septendecim fugitivos recepit, unum Popilium invictum a servis Siciliae praefuisse inconsultum est opinari; minimus sane numerus, si modo bellum gessit, neque vero bellum eum gessisse apparet, quod servos quos armatos in proeliis ceperant Romani non reddere dominis sed crucibus figere aut alio quovis modo necare solebant; quam ob rem nonnullis annis postquam gravissimum et quod Romanos vehementissime terruisse scimus servile bellum Rupili consulis fortitudine confectum est, si sibi quoque partem gloriae Popilius quondam praetor Siciliensis adsumpsit, non miramur; C. Verri qui haud dissimili adrogantia sexaginta fere annis post sua virtute provinciam bello fugitivorum liberatam esse gloriabatur, iusta indignatione obstitit M. Tullius Cicero[3]), Popilio nostrates maiorem merito fidem tribuerunt, quamvis iampridem recte Mommsen monuisset.

---

1) Mommsen C. I. L. I, n. 551. Klein l. c. pag. 43 u. 44.

2) Sunt qui Didium quendam cum servis in Sicilia pugnasse putent; vid. Eckhel. doctr. numm. V 1828, 201, Haackh in Pauly Real Enc. II, 1842, 1009, Babelon: description historique et chronologique des monnaies. I. Paris 1885. p. 455 sq.

3) Cic. in Verrem act. II, lib. 5 § 5 sq.; adde lib. 4 § 54.

Reliqui sunt quos Florus 2, 7, 7 nominat praetores. Hypsaeum de quo modo diximus eundem ac consulem[1]) anni 125 fuisse parum recte Haakh[2]) coniecit, Buecher, quod praenomen L. apud Diodorum § 18 exstat, suo iure negavit l. c. 65 n. 2; ceterum eiusdem aetatis tertius est C. Hypsaeus praetor in Hispania quem Viriathus vicit.[3]) Item Pisonem praetorem anni 135 supra commemoravimus; si idem fuit ac L. Calpurnius Piso Frugi trib. pl. 149 cos. 133 praetorem potius quam postea consulem sicut Cicero in Verrem act. II, lib. 3, 195 narrat eum egisse iudicabimus, quoniam tumultuosis temporibus difficilius[4]) fuit pecuniae quod superaret referre quam praeturae anno, quo grave bellum post nonnullos menses exstitit, priores quieti erant. Sed hoc modo una difficultate ablata alteram nasci fatemur[5]), quia uno anno postquam praetura haud prospere functus esset consulem eum creatum et in eandem atque antea provinciam missum esse conicere debemus; quam ob rem de Pisone valde dubitamus, quamquam ad Buecheri sententiam p. 128. Pisonem consulem in praetorum numero esse, quam e Flori libri 1 cap. 35, 4 verbis: „Crassi quoque praetoris cecidit exercitum" probare studet, cum discrimen quoddam inter duos Flori locos intercedat, accedere non possumus. Ante Pisonem Manlius et Lentulus Siciliae praefuerunt; itaque maturius quam affirmemus bellum ortum esse aliquis obiciat. Neque tamen eius modi argumento opinio nostra refellitur, immo ipse Posidonius antequam Euni bellum oreretur nonnullas servorum manus provinciam turbasse narravit: μεστὰ φόνων ἦν ἅπαντα καθάπερ στρατευμάτων

1) Pauly Real Enc. V, 1724. Buecher l. c. 65 n. 2.
2) Cic. de or. I, 166, Val. Max. 9, 5, 1 et e. 4, Oros. 5, 11, 1.
3) Diod. Sic. 33, 2, Liv. ep. 52, Oros. 5, 4, 1—3.
4) Buecher l. c. 72, n. 2.
5) Drumann-Groebe: Geschichte Roms. II, p. 541.

διεσπαρμένων τῶν λῃστῶν Diod. S. §§ 2—3 = 28—30 et Strab. 6, 273; qua de causa apud veteres rerum scriptores ipsum ab Euno concitatum bellum a principiis rapinarum et latrocinii, quae antea per multos annos grassata sunt, accurate discerni iterum atque iterum praedicamus. Ceterum quis Manlius anno 137, quis Lentulus proximo praetor Siciliae fuerit prorsus ignoramus. Unum restat ut contra Holmium (p. 109), si quidem Flori de Perperna errorem recte patefecimus, nullam causam intellegi moneamus, cur de nominibus praetorum dubitemus.

De seditionibus in Attica Deli Minturnis Sinuessae Romae factis nunc agendum est, quas alii viri docti ante Siculum motum alii postea fuisse docent; licet illud Wilmsio placeat, ut annis 144 aut 143 Minturnis, anno 141 Sinuessae servos rebellasse coniciat, hoc Neumanno videatur qui easdem tempestates post principia belli Siciliensis anno 137 posuit; nos ut solemus ad veteres rerum scriptores recurrimus; Diodorus ceteras defectiones propter Euni exstitisse narrat, Livi epitomatores certos annos exhibent; Tib. enim Gracchi exitu narrato sic Orosius 5, 9, 4: „orta praeterea in Sicilia belli servilis contagio multas late infecit provincias; nam et Minturnis CCCCL servi in crucem acti et Sinuessae ad quattuor milia servorum a Q. Metello et Cn. Servilio Caepione oppressa sunt"; etiam accuratius tumultum anno ante ortum hoc exstinctum esse Obsequens 27, 86 tradit: „P. Africano C. Fulvio coss. . . . fugitivorum bellum in Sicilia exortum; coniuratione servorum Italia oppressa"; sic enim codices; Otto Jahn cum „in Italia" scribit sensum turbat, Arnoldus Schaefer[1]) „coniuratio servorum in Italia oppressa" mutat,

1) Jahrb. Phil, Paed. 107, 1873 p. 70; adsensi sunt Klein Verw.-Beamte I. p. 48 Unger; l. c. 101 n. 28; Buechelerum Buecher sequitur p. 127, qui e Metelli et Caepionis nominibus tumultum non post annum 140. fuisse putavit cognosci p. 123.

Buecheler „coniurationes . . . oppressae"; sed inconsultius fecerunt, quia nihil addendum est, nihil delendum; sed ut diximus ortae hoc anno seditiones postero oppressae sunt, ad quem recte haec Obsequens l. c.: „in Italia multa milia servorum quae (scil. anno ante) coniuraverant aegre comprehensa et supplicio consumpta; in Sicilia fugitivi Romanos exercitus necaverunt[1]); Numantia diruta"; annum 133 significari apertum est[2]), quod antea necem Ti. Gracchi, postea Numantiam dirutam Obsequens notat; itaque nostra sententia, cum de duabus coniurationibus quae diversis annis, quod Wilms vult, in Italia fuissent nihil sciamus, optime sibi habent, quae prodigiorum libro memoriae tradita sunt, neque ulla coniectura opus est.

Reliquos tumultus eodem anno fuisse Orosio eo magis credere debemus, quod cum Diodoro ille convenit; Diodorus mancipia Romae et Deli et in Attica tumultuata esse narrat, Orosius Romanam seditionem omisit, apud Athenaeum qui Posidoni fragmentum[3]) quoddam servavit hoc legimus: „Ποσειδώνιος . . . καὶ ἀποστάντας φησὶν αὐτοὺς (servos) καταφονεῦσαι μὲν τοὺς ἐπὶ τῶν μετάλλων φύλακας, καταλαβέσθαι δὲ τὴν ἐπὶ Σουνίωι ἀκρόπολιν, καὶ ἐπὶ πολὺν χρόνον πορθῆσαι τὴν Ἀττικήν· οὗτος δ' ἦν ὁ καιρὸς ὅτε καὶ ἐν Σικελίαι ἡ δευτέρα τῶν δούλων ἐπανάστασις ἐγένετο"; tantum priora

1) Sic etiam Augustin. de civ. dei 3, 26 interpretamur, qui hoc exhibet: „neque id solum fuit servile bellum, sed et Macedoniam provinciam prius servitia depopulata sunt et deinde Siciliam oramque maritimam". Cf. Buecher p. 98.

2) „P. Popilio L. Rupilio" excidisse Oudendorp non apte suspicatus est.

3) Athen. VI, 272 e f = Pos. fr. 35. Mueller H. Gr. F. III, 264; conferas Boeckh Act. Acad. Boruss. 1814 p. 123 sq. = Akad. Abhandl. 45 sq. et Schweighaeuser ad Athen. l. c. vol. III, p. 606 necnon Buecher p. 95 sq,; Burckhardt Griech. Kulturg. I, 1898, 159 tumultum anno fere 100 accidisse dicit.

verba Posidoni sunt, cetera inde ab οὗτος δὲ Athenaeus adiecit eodem modo, quo deinde decies centena milium interisse narrat Caeciliumque Calactinum rhetorem de bellis servilibus scripsisse adicit; neve credas Athenaeum iis quae excerpsit numquam sua addere, exempli causa de fragmento 11 libri septimi = Athen. 12, 549d admoneo, cui e segniore memoria Posidonium cum Scipione Africano Alexandriam regemque Ptolomaeum vidisse addidit, ut nimis creduli nonnulli viri docti aut annum itineris Scipionis ex ordine librorum Posidoni aut e Scipionis itineris tempore ea quae stoicus septimo libro narrasset concludere conati sint, utrumque non recte.

Si annorum rationem, quam ut potuimus in exiguis Diodori et Livi reliquiis exstruximus, an recta sit aliquo modo examinare et comprobare desideramus, nunc, quibus annis Posidonius primum servile bellum fuisse tradiderit, necesse est quaerere; quam quaestionem si placet sic instituamus, ut primum quae e consensu Diodori et Livi sequantur colligamus, deinde cuius temporis res gestas octavo historiarum libro eum descripsisse veri simile sit indagemus.

Illud saepius attigimus; non solum Diodorum verum etiam Livium principio Siciliensis belli enarrato, antequam exponere pergeret, seditiones commemorasse intellegimus, quae eodem tempore in Italia et Graecia exstiterunt; sic enim Livi historiarum frusta congruunt cum Diodoreis:

D. S. §§ 1—18, 24b—43	= Flor. §§ 1—7	= Oros. 5, 6 §§ 2—4	= Obs. 27, 86a
D. S. § 19	= Flori error	= Oros. 5, 9 §§ 4—5	= Obs. 27, 86b
D. S. §§ 20—23, 44—48	= Flor. § 8	= Oros. 5, 9 §§ 6—8	

quas res ad eundem modum uterque non adornasset, nisi Posidonius praeisset.

Altera quaestio quam de oeconomia Posidoni proposuimus difficilior est; duae enim diversae sententiae de ea valent, cum Posidonium annales haud alia quam Livium ratione

scripsisse nonnulli viri docti dicant, alii ita eum potius res adornasse putent, ut, ubi natura rei postulare videretur, modo singulorum annorum materiam disiungeret, saepe uno libro quod pluribus annis in una eademque provincia factum esset comprehenderet. Hanc sententiam velut communem opinionem probari videmus, dum alteram Unger doctissima illa et uberrima dissertatione, quam saepius nominavimus, novis argumentis prolatis mordicus defendit neque minime iis quae ex octavo Posidoni libro ad eam confirmandam afferri posse putavit; qui primum, id quod iam multis refellimus, Livium Posidonium non secutum esse affirmat, tum Diodorum uno et perpetuo tenore bellum servile narravisse negat; quod non recte eum suspicatum esse nunc videbimus.

Cum Diodorus tertio et tricesimo libro qua fortuna Romani in Lusitania usi sint, quomodo bellum Hispaniense processerit, quid in Syria acciderit, ad unumquemque annum cum diligentia referat, eo magis, quod quarto et tricesimo libro aliter rem expedit, non casui tribuendum est; nam ut Photium praetereamus, quippe qui uno tenore bella excerpere soleat, sicut p. 523 — 524 W bellum Viriathi, p. 529—537 alterum bellum servile, p. 538—41 bellum sociale, apud reliquos excerptores narrationes sic sequi cognoscimus:

I. = Phot. p. 524: Antiochus rex Syriae Hierosolyma capit.

II. = exc. de virt. 362—70, de ins. 20, 21, de sent. 100—102, Phot. 524—29: bellum servile in Sicilia geritur.

IIIa. = exc. de virt. 370: de regno Attali.

IIIb. = exc. de sent. 103: de captis quibusdam barbaris.

Quod illud excerptor περὶ ἀρετῆς, hoc περὶ γνωμῶν servavit, nos, utrum prius Diodorus narraverit, ignoramus; sed

nihil refert, nam nostra cognoscere pluris interest barbaros illos, qui ἐπὶ τοὺς ὅρους τῆς χώρας, non ad oram Siciliae, abstrahuntur, ibi captos esse non posse; ceterum quanta adversus fugitivos Sicilienses severitate Romani animadverterint notum est, sed eorum de quibus apud Diodorum accipimus multos, ante paucos dies liberos, tunc οὐχ ὑπομένοντας τὴν ἐκ τῆς δουλείας ὕβριν semet ipsos necasse legimus, διότι τοῦ ζῆν οὐδὲν ἄξιον κατελέλειπτο; nec Siciliae agrum servos de Syra aut Ciliciensi gente natos osculatos esse apparet neque pulverem terrae capiti imposuisse ὥστε εἰς ἔλεον καὶ συμπάθειαν ἅπαν τραπῆναι τὸ στρατόπεδον.[1])

IV. = exc. de virt. 373, de sent. 103, 104: De seditione Tib. Gracchi.

Unger p. 110 rem potius anno 136 tribuendam esse censuit, quia origo Gracchi ennarraretur, quam ad annum 133 a Diodoro afferri se non putare; at conferas Appiani b. c. 1, 17.

V. = exc. de virt. 373: οἱ Σύροι οἱ δραπέται τῶν αἰχμαλώτων τὰς χεῖρας ἀπέκοπτον κ. τ. λ.

Fugitivos in Sicilia rebellantes hanc crudelitatem exercuisse, quod Unger arbitratur, tantum abest ut placeat, praesertim cum illi Σύροι δραπέται numquam nominentur, ut de Aristonici tumultuariis manibus excerptum esse iudicemus.

VI. τοῖς καταφαγοῦσι τοὺς ἱερωμένους ἰχθῦς οὐκ ἦν παῦλα τῶν κακῶν κ. τ. λ. = exc. de sent. 105.

Quoquo modo res cum piscibus illis se habet, quos Buecher p. 67 n. 4 haud inepte Arethusae fontis esse collato

---

1) Bellum Numantinum subaudimus; vid. quae de virtute Bracarorum aliorumque populorum Hispaniae Appianus Ib. 74 et 77 narrat; βάρβαροι = Hispani cf. Posid. apud App. Ib. 97 sq.: ἐφαίνοντο δὲ τοῖς πολεμίοις ἐλεεινοί . . .

Diodori libri 5 cap. 3, 6 suspicatus est, bellum servile tunc temporis nondum confectum esse prorsus non elucet; itaque Syracusas urbem a servis quondam captam esse — id quod Buecher coniciendum esse iudicat — nostra quidem sententia hoc loco vix comprobatur, cum maxime si Eunus Syracusas expugnasset, Florus, Orosius, per. Livi de hac re non tacuissent.

VIIa. = exc. de virt. 373, 374.

Ut propter nefariam caedem Gracchanorum decem viri Hennam mitterentur, senatui anno 133 placuisse Cicero act. II. in Verrem lib. 4 § 108 tradit; ipsum iter priusquam Rupilius consul proximo anno urbem vi cepit legatos ingredi non potuisse apparet; praeoccupata igitur mente Unger l. c. id anno 136 fuisse contra Ciceronem coniecit, quamquam de ipsius sententia servi tunc urbem Hennam tenebant. — Quae simul de pietate Gorgi Cambali et filii Morgantinorum excerptor exhibet, ante annum 132 poni non posse[1]) et ex eo quod modo diximus sequitur et quod dum bellum geritur Gorgum venationis voluptate abstinuisse putamus; etiam confecto bello servorum manus in insula vagatas esse nullo modo mirum, cum in Italia non solum primis post bellum Spartacium mensibus, sed etiam octavo anno post latrocinia fuisse sciamus.[2])

VIIb. = exc. de virt. 374: res Thraciae explicantur.

Altius in librum tricesimum quartum progredi non necesse est: Diodorum, cum ceteras res in annos divideret, belli servilis narrationem si non totius tamen priorum annorum usque ad minime annum 133 non interrupisse iam in aperto est; quam ob rem quandoquidem Livium inde ab anno Fulvi diversis libris res gestas servorum

---

1) Buecher p. 60 de anno dubitat.

2) Cic. act II in Verrem 2, 99; Sueton. Octav. 3.

tractare videmus, Diodorum ea quam alioquin non diligit adornatione auctorem Posidonium imitari manifestum est.

Venimus nunc ad alterum Ungeri argumentum, numerum libri; qui cum octavus esset, et historiae res ab anno 144 gestas continuissent, bellum servile anno 137 exarsisse censet. Ne hoc quidem recte doctissimus vir; nam ut praetereamus eam quaestionem, de qua alio loco nos tractare posse speramus, unde historias Posidonius narrare orsus sit, e librorum numeris annos concludere audacius videtur; nos id non periclitamur, sed viam quam ingredi conati sumus ea interpretandi, quae veteres rerum scriptores nobis tradiderunt, etiam nunc tenemus. Quid? illa Ungeri ratione in Posidoni historiis omnino non numerandum est, quoniam omnia quae cum numeris servata sunt fragmenta singulis libris de singulis provinciis Posidonium egisse satis probant; testimonio haec sunt: Duo fragmenta quae e libro tertio, totidem ex XXVIII. exstant de Syria sunt; de Celtis omnibus tribus fragmentis libri XXIII. accipimus; quattuor excerpta libri XVI. pariter Syriae provinciae res continent; quo nescio an duo fragmenta addenda sint e libro XXXIV.[1]) Quod casu accidere eo minus putandum est, quod simulac e continuis libris certa fragmenta servantur ad diversas provincias spectant; en habes testimonia librorum et regionum: lib. II. Italia III. Syria IV. Aegyptus V. Parthia, deinde lib. VII. Aegyptus VIII. Sicilia IX. Asia, tum libro XXII. Graecia XXIII. Gallia, postremo libro XXVII. Delmatia XXVIII. Syria.

Quibus expositis cum de initiis prioris belli Siciliensis vix quicquam videatur addendum esse, quaestionis de extremis annis tumultus modum terminabimus. Quid C. Fulvius

---

1) De fragmento 36 Muell. viri docti dubitant.

Flaccus consul in Sicilia profecerit, quamquam propter fontium inopiam iam non cognoscimus, tamen in eam quam Lumia l. c. 21 p. 36 n. 6 proposuit sententiam (falso apud Orosium Fulvium nominari) ire non possumus. Immo dubitari non potest, quin Fulvius anno 134 in Siciliam missus sit, cum non solum cum periocha Livi 56, quod vir doctus neglexit, Orosius congruat sed etiam P. Cornelio Scipioni Africano ideo novum exercitum denegatum esse [1]), quod Fulvio maiores copias addere necesse fuisset, recte Buecher p. 70 suspicatus esse videatur. L. Calpurnius L. f. Piso Frugi qui Fulvio successit in disciplina militari restituenda fere toto anno exempto [2]), quod copiae infirmae erant neque praefecti cum cohortibus et alis equitum terga vertere aut iugum turpiter subire verebantur, non multum perfecit; Mamertium quidem oppidum expugnavit, sed Hennam frustra obsessit. [3]) De fide Orosi, qui Mamertium a Pisone captum esse tradidit, Arnoldus Schaefer (Annal. Fleckeisen. 107, 1873, p. 70), quia idem epitomator paulo ante 5, 6, 4 Messanae in urbe mancipia dominos non defecisse dixisset, dubitavit, neque tamen coniectura opus est, praesertim cum alia in urbe, Murgenti, servos altero bello servili libertatis spe adductos primo dominos iuvasse, sed periculo remoto, cum praetor in libertatem eos vindicare recusasset, sententiam mutasse Diodorus Siculus 36, 4, 8 auctor sit. Tandem P. Rupilius consul bellum feliciter confecit, primum Catinam [4]) deinde Tauromenium [5]) arce, quam initio anni Q. Fabius, gener ipsius, neglegentia amiserat, a Sarapione quodam prodita expugnavit, Comanum urbis praefectum cepit; tum

1) App. Ib. 84. Plut. apophth. reg. et imp. Scip. 15.
2) Val. Max. 2, 7, 9; Frontin. strateg. 4, 1, 26.
3) C. I. L. I, 642 sq. X^2 p. 940 n. 8063, 2a—n.
4) Strab. VI. 272.
5) Diod. S. 34, 2, 20; Strab. l. c.; Val. Max. 2, 7, 3; Oros. 5, 9, 7.

ad Hennam[1]) firmissimam urbem accessit et Cleone qui pugnandi facultatem praebuerat fugato urbem cinxit, obsessos fame graviter oppressit, proditione „arce Siciliae" potitus est; postremo per totam insulam dispersis servorum manibus excitatis compressisque provinciam tutam reddidit.

De aetate alterius belli servilis paucis disceptare conabimur, quae ut haud similiter a viris doctis in controversias abrepta sit, eo factum est, quod neque tot neque tantae difficultates, quot in chronologia prioris auferendae erant, nunc obstant; qua de causa in tribus parvis quaestionibus iisque non copiosis acquiescemus, prima de initio tumultus, altera de successione praetorum, tertia quo anno bellum confectum sit, quas ad exsequendas, quoniam Orosius nos deficit, fere solis excerptis Diodori nitimur.

Ac primam quidem quam dicimus quaestionem, etsi non desunt qui de initio belli dubitent, facile perficere possumus, cum Photius exordium Diodori bene expresserit; Iugurtha enim Numidiae rege superato novum tumultum servorum nuntiis indicantibus Romanos, cum in Gallia exercitus a Cimbris perditi essent neque haberent, unde milites ad profligandos fugitivos colligerent, vehementer perterritos esse; ex quo cum effici potest servos non ante mensem octobrem anni 105 rebellasse, tum etiam accuratius responso reputato, quod cum patres conscripti copias imperassent rex Bithyniae senatui dedit, Salvium aestate anni 104 seditionem concitasse concludimus, quo tempore C. Marius triumpho acto Kal. Ian. ubi consulatum iniit copias ad bellum Cimbricum conscripsit auxiliaque imperavit. Tumultum Siciliensem tres motus in ipsa Italia anteibant,

---

1) Diod. S. 34, 2, 21; Strab. l. c.; Oros. l. c.

quorum duo Nuceriae et Capuae celeriter oppressi sunt; tertium P. Vetti equitis cuiusdam Romani[1]) L. Licinius Lucullus praetor urbanus sive fuit peregrinus quattuor milibus peditum quadringentis equitibus coactis prostravit. Nescio an Vettius circa Thurinam regionem Lucullum exspectaverit, quod apud Obsequentem 43, 103 hoc legimus: „a fugitivis et desertoribus in Thurinis regiones vastatae.“[2]) Diodorus quo loco Vettius castra posuisset non tradidit, sed Thurios eum profectum esse suspicari licet, quod Lucullus exercitum Capuae coegit, quae urbs ad hoc perficiendum aptissima erat cuivis praetori Romano qui ex urbe missus in Lucaniam iter faciebat.

Pergimus nunc ad alteram quaestionem de praetoribus: primum Licinium Nervam praetorem bellum quod tractamus gessisse consentiunt Diodorus et Dio Cassius, neque quisquam hoc dubitavit; qui anno 104 Siciliam provinciam administravit, cum patres conscripti Nicomedis regis rescripto permoti unumquemque servum, qui olim liber e Bithynia in insulam venditus esset, in libertatem vindicare praeciperent, quo celerius ad gravissimum periculosumque Cimbricum bellum conscribi posset. Licinio Nervae L. Licinium Lucullum successisse plerique viri docti consentiunt, negant Peter l. c. p. 77, Zumpt p. 105, Gensicke p. 15, qui tamen certis argumentis opinionem comprobare omiserunt; ex unius Flori verbis his: „capta Servili castra capta Luculli“ Servilium ante Lucullum in Sicilia bellum gessisse concludendum esse putaverunt; neque vero haec res contra Diodorum afferri potest, qui prius Lucullum provinciae praefuisse

1) De veritate nominis T. Vetti, quamquam apud Photium Τίτος Μενουίτιος legitur, dubitari non posse recte intellexit Car. Mueller; nam Graeci Μινούκιος pro Minucio, nunquam Μινούτιος scribunt. — De Vetti conatu conferas Kurt Breysig: Kulturgeschichte der Neuzeit, II, 1. Berolini 1901. p. 406 sq.

2) Oudendorp; cod. Tigurinis.

tradit, nam ab altera parte stat Florus rhetor, ab altera historicus Diodorus, ille duos praetores quos postea Romae accusatos damnatosque esse scimus, ut clades Romanas demonstret, nominat, quam ob rem certum ordinem servare eius non interest; hic accurate dicit: Γάιος δὲ Σερουίλιος καταπεμφθεὶς στρατηγὸς διάδοχος Λουκούλλου οὐδ' αὐτός τι ἄξιον μνήμης ἔπραξε κ. τ. λ. apud Photium et in exc. Vat. 111 ὁ Λούκουλλος ὁ στρατηγὸς πυθόμενος διαβεβηκέναι τὸν πορθμὸν Σερουίλιον Γάιον στρατηγὸν ἐπὶ τὴν διαδοχὴν τοῦ πολέμου κ. τ. λ. Accedit quod Lucullum cum septendecim milibus militum senatus miserat, ut qui Servilium antea praetorem fuisse credunt, hunc fere sine copiis bellum sustinuisse putare debeant. Neque ut de argumento mortis Tryphonis quod supra attulimus sileamus cursum honorum viri docti respiciunt, cum Florum Diodoro praeferunt; nam qui factum sit, ut L. Licinius Lucullus, quem praetorem inter peregrinos vel urbanum Vetti seditionem anno 104 exstinxisse vidimus, uno anno intermisso tertio in Siciliam profectus sit, non intellegitur; immo statim e praetura in provinciam missus est sicut ante eum Licinius Nerva; cuius nomen in titulo quodam Astypalaeensi [1]) anni 105 mutilatum esse videtur, ubi et alia leguntur et haec: ἐπὶ ὑπάτ[ω]ν Ποπλ[ίου Ῥοτιλί]ου Ποπλίου υἱοῦ καὶ [Γν]αίου Μαλλίου Γναίου υἱοῦ [στρατηγοῦ κατὰ] πόλιν Λευκίου . . . νίου Λευκίου υἱοῦ [ἐπὶ δὲ ξένων] . . . Ποπλίου υἱοῦ. Nos si recte excerptorem Valesianum Publi praenomen Nervae memoriae prodidisse putamus [2]), praetura

1) Sic Hiller de Gaertringen Inscr. Graec. ins. maris Aegaei fasc. III, 173 edidit, obliqua littera ω ante —νίου Λευκίου υἱοῦ scripsit. Boeckh quasi certa esset —ωνίου ediderat C. I. Gr. II. 2485; cf. Wehrmann Fasti praetorii Diss. Gryphiswald. Berolini 1875, p. 16.

2) In praenominibus errores non pauci; pro M'. Aquillio Florus 2, 7, 11 Titi, Diodorus 36, 11, 1 Gai praenomen habet, illud ex neglegentia positum, hoc quod antecedit Γάιος Μάριος.

eum peregrina, sin falso urbana functum esse iudicabimus sic lacuna expleta: Λευκίου [Λικι]νίου Λευκίου υἱοῦ. Postremo iis quae protulimus argumentis quintum addimus: Cicero pro Archia § 5 dicit: „statim Luculli, cum praetextatus etiamtum Archias esset, eum domum suam receperunt“, quod quo anno fuerit ipse declarat: „Romam venit Mario consule et Catulo“ i. e. anno 102; Luculli quos nominat sunt praetor Siciliensis et filii L. et M., quocum poetam „satis longo intervallo“ scilicet intra annos 102 et quo civitas ei data est 89 in Siciliam profectum esse apud eundem Ciceronem § 6 legimus. Ut deinde Servilio praetore Athenionem Macellam muniisse arbitremur, duae nos causae commovent; primum enim priore anno Tryphonem, qui ante Athenionem servos regebat, mortuum esse scimus, tum Dionis Cassi excerptor Valesianus, cui soli eam memoriam debemus, fragmento 93, 4 libri XXVII, priusquam de Macella[1]) verba facit, nonnulla de Teutonorum et Cimbrorum cladibus attulit; itaque Athenio vix Messenios aggressus putandus est, cum Aquillius Roma in Siciliam proficiscitur.

Restat ut de fine belli agamus. Diodorus, si modo Photi verba pro Diodoreis aestimamus, quattuor annos dimicatum esse 36, 10, 3 tradit: ὁ μὲν οὖν κατὰ Σικελίαν τῶν οἰκετῶν πόλεμος διαμείνας ἔτη σχεδόν που τέτταρα τραγικὴν ἔσχε τὴν καταστροφήν. Etiam huius tumultus originem ab ipsa belli aetate diudicare debemus; illum anno 104 ortum esse supra diximus, hanc ab eodem Nervae anno non numerari posse iam eo colligitur, quod Nerva copias ex insula celerrime conscriptas habuit, iusto exercitui primum Lucullus praetor praefuit; qua de causa bellum ab Aquillio anno 100 confectum esse arbitramur, id quod inter Livi periocham libri LXIX et Obsequentis paragraphum 45, 105

1) Vid. Holm l. c. III, 344

optime convenit; nam Q. Caecilium Metellum ab exilio reductum esse Livius, ut illius restitutione quasi sedata videretur Apulei seditio, antea narravit; qui cum Mario et Valerio coss. anno 100 voluntarium exilium conscivisset, secundo anno post Romam revertit.[1]

Pauca si placet de Aquilli[2]) vita addimus; hunc anno 103 in exercitu C. Mari nobilissimum ut videtur legatum dux, cum Romam ad comitia proficisceretur, exercitui praefecit[3]); uno anno ante Aquillium praetorem fuisse suspicamur, neque contra facit, quod e praetura in provinciam nullam abiit, praesertim cum Mario duce contra Cimbros Teutonosque multi clarissimi viri pugnare cuperent; suo deinde anno, si modo de praetura recte iudicavimus, consul creatus, ubi primum potuit, in provinciam a senatu sibi decretam perrexit; proximo anno Romam nondum rediit, ut cum Apuleius Saturninus tr. pl. ordinem senatorium vehementissime aggrederetur procul urbe esset; quam ob rem suo iure Cicero pro Rabirio § 21 in numero dignissimorum consularium virorum et praetoriorum qui urbem liberarint Aquillium non nominat, nominat L. Domitium[4]) qui ei successit. Ceterum Rupili exemplo ovatione Aquillius contentus fuit, ut ἐλάττονα θρίαμβον Posidonius fr. 41 significare videatur apud Athenaeum V 213b: Μάνιος δὲ Ἀκύλλιος ὁ ὑπατευκώς, ὁ τὸν ἀπὸ Σικελίας καταγαγὼν θρίαμβον . . .; eidem Rupilio necnon M. Laevino Aquillium Cicero comparat in Verr. act.

---

1) Diod. Sic. 36, 16: περὶ τῆς τοῦ Μετέλλου φυγῆς ἐπ' ἔτη δύο γινομένων λόγων ἐν ταῖς ἐκκλησίαις κ. τ. λ.; cf. Claud. Quadrig. fr. 76 P, Val. Max. 5, 2,7.

2) P. Wehrmann: p. 19; Waddington (voyage archéologique III) fastes des provinces Asiatiques p. 665.

3) Plut. Mar. 14.

4) Recte igitur Zumpt p. 106 Domitium pro praetore Siciliae ad annum 98 scripsit. Cf. Wehrmann p 20.

II libri 3 § 125, qui tres praetores gravibus bellis confectis Siciliae res restituissent. Sed etiam imperatorem eum fuisse de or. 2, 195 testatur: „consulem fuisse, imperatorem ornatum a senatu, ovantem in Capitolium ascendisse.“ Nescio an propter Aquilli imperium Diodorus maiore victoria reportata milites Romanos ducem imperatorem appellare solitos esse narraverit, quod ad hos ipsos annos, de quibus quaestio nostra est, Photius p. 538 = 36, 14 Dind. exscripsit; nam cum praeter Aquillium et Marius et Catulus imperatores tunc salutati sint, nos quem Diodorus sic ornatum esse illo loco tradiderit non satis cognoscere possumus[1]); ceterum haec verba: ἰμπεράτωρα αὐτὸν ἀναγορεύειν καὶ ἀποκαλεῖν, ὅ ἐστι βασιλέα qui principatus aut imperii temporibus vixit auctor scribere potuit, rei publicae Romanae non item.

Tres illas quaestiones, quas de temporum ratione secundi belli servilis proposuimus, ad finem quendam perduximus; ad Posidonium nunc venire deberemus, nisi aliter atque in priore tumultu res se haberet; nam ibi Diodorum arte Posidoni vestigia pressisse, Livium cum praeter illum alios fontes compilaret, continua narratione interrupta annales partes fecisse manifestum est; sed utrum narrationem alterius

1) Clarissimum virum Marium diceremus, nisi quae antea de Battace Magnae Matris sacerdote Diodorus verba fecit optime in Plutarchi vitae Mari caput 17 quadrarent, sed paulo post cum Teutonorum et Cimbrorum exitum narraret, imperatorem C. Marium appellatum esse idem Plutarchus ne verbo quidem attingeret. Itaque Aquillium subaudimus, quamquam belli servilis narrationem Diodorus antea ad finem perduxisse videtur; cf. verba Photi quae modo commemoravimus: ὁ μὲν οὖν κατὰ Σικελίαν κ. τ. λ. — De Battace, quem anno 102 Romae fuisse viri docti putant, conferas I. P. Garofalo: I fasti dei tribuni della plebe della repubblica Romana, Catania 1889, p. 83; Joh. Niccolini: Fasti tribunorum plebis ab anno 260 = 494 usque ad annum 731 = 23. Pisis 1898, p. 350; Mommsen: Roem. Gesch. II 422 III 572; cf. pag. 10 notam 2

belli, quod non brevius tamen propter ceteras tempestates quae imperium Romanum tunc fere everterunt minoris momenti fuit, Livius uni libro an pluribus inseruerit, iam non cognoscimus; accedit quod de fontibus eius certam opinionem capi non posse supra demonstravimus. Similiter, quamquam omnes excerptores Diodori ante Salvi Tryphonis seditionem bellum Iugurthinum memoriae tradiderunt, adiecerunt Romanorum apud Arausionem acceptam cladem, cui prohoemium Diodori aperte adnexum est, postea seditionem Saturnini et Marsicum bellum narraverunt, et quamquam neque Escurialensis excerptor neque Vaticanus neque qui de virtutibus et vitiis scripsit res umquam confuderunt, tamen, quod e Cimbrici belli ultimis annis excerpta non exstant, Diodorum ut prioris belli maximam partem nunc totum tumultum uno tenore narravisse concludi nequit.

CAPUT TERTIUM.

Bellis servilibus in Sicilia provincia gestis tumultum gladiatorum cui Spartacii belli nomen inditum est[1]) non solum propter similitudinem rei adnectimus sed etiam ob aequam fontium inopiam, quod sicuti antea Diodori et Livi reliquiae, nunc Livi et Sallusti nobis comparandae atque interpretandae sunt, ut ex eorum fragmentis ceterorumque rerum scriptorum descriptionibus, quae ad nostram aetatem servatae sunt, imaginem illius seditionis cogitatione quoquo modo fingamus. Quaestionem ut consuevimus in duas partes dividimus, alteram quae est de fontibus et auctoritate veterum rerum scriptorum, alteram de temporibus tumultus.

Atque in priore quaestione tractanda, ne ea quae viri docti de fontibus dixerunt recoquere videamur, Bertoldum Maurenbrecherum sequamur, qui historiarum Sallusti fragmentis nuperrime editis et alia et caput de bello fugitivorum praemisit.[2])

Primus est Plutarchi locus, neque enim e Livio quicquam habemus nisi pauca ex epitomatoribus qui dicuntur et periochis restituta, Appiani vero narratio bellis civilibus inserta, quod e

1) Ad usum vocabuli „Spartacius“ cf. Maurenbrecher: C. Sallusti hist. reliquiae fasc. I Prolegomena. Lipsiae 1891, p. 44 n. 3; servi apud Plutarchum cap. 9 Σπαρτάκειοι nominantur.

2) Fascic. I, p. 40-46.

pluribus fontibus ille sua contulit, nonnulla perdidit, rerum conexum nonnumquam turbavit, magnas difficultates praebet. Itaque plura verba de Appiano quam de ceteris rerum scriptoribus facere necesse erit.

Plutarchum unum fontem eumque copiosum inspexisse, e quo sua elegit et breviter et eleganter composuit, ut nullus locus cum alio ullo certet, omnia optime cohaereant, respondeant, disposita sint, quicumque vitae Crassi capita VIII—XI legit facile intellegit; neque vero rerum scriptoris quem secutus est nomen usquam affert. Sallusti historias ei ad manus fuisse primus probavit Heeren, adstipulati sunt Peter[1]) et Maurenbrecher neque de ea re, quia argumenta doctissimorum virorum potentissima sunt, quemquam dubitaturum esse putamus; ne testimoniis quidem illis nova addere possumus nisi unum: legimus apud Plutarchum cap. X: Μέγα . . . ἔργον . . . ἤνυσε Crassus τάφρον ἐμβαλὼν ἐκ θαλάσσης εἰς θάλασσαν διὰ τοῦ αὐχένος σταδίων τριακοσίων κ. τ. λ.; respecto igitur hoc fragmento quod e Sallustio (IV, 25 M.) Arusianus servavit: „ad Siciliam vergens faucibus ipsis non amplius patet milibus quinque et triginta“ Plutarchum, ut aliter hunc numerum Graece verteret, facere non potuisse intellegimus; nam CCC stadia aequantur L fere milibus metr. germ., XXXV milia passuum iisdem fere LII milibus, vel ut simplicius dicamus, trecenta stadia sive quinque et triginta MP sunt septem milliaria germ.; ceterum praeter numerorum conceutum Plutarchum verbo αὐχένος Sallusti „fauces“ exprimere voluisse videmus. — De altero quodam loco id quod viri docti dixerunt in dubium vocare audemus; Plutarchum enim ad Sallusti fragm. IV, 40 „cum interim lumine etiamtum incerto duae Galliae mulieres conventum vitantes ad menstrua solvenda montem

1) Peter: Die Quellen Plutarchs in den Biographien der Roemer p. 109 sq.

ascendunt spectare manifestum est cum hoc scribit: ὀφθέντες δ' ὑπὸ δυεῖν γυναικῶν προθυομένων τοῖς πολεμίοις, neque vero minus elucet eum falso interpretatum esse, quod „menstrua solvere“ idem est atque „menstruationem facere“. Sunt quidem, qui Sallustium menstrua sacra exsequenda significare affirment[1]), sed qui Plutarchum Romanos rerum scriptores saepe falso vertere non ignorat, de veritate illius translationis dubitabit. — Eadem pugna, qua ab illis duabus mulierculis insidiae Romanorum Crassi prudentia paratae conspiciebantur, duodecim milia servorum et trecentos occidisse Plutarchus cap. 11 narrat, sed duos tantum de tot milibus a tergo saucios Romanos repperisse; talia Sallustium non fabulatum esse, alterum igitur ibi fontem Plutarchum exscripsisse multi affirmant; quod illis nos non modo non credimus, sed etiam de simili narratione admonemus, quam Catilinae coniur. cap. 61, 2 inserere Sallustius non dubitavit, ubi hoc scriptum est: „nam fere quem quisque vivos pugnando locum ceperat, eum amissa anima corpore tegebat, pauci autem quos medios cohors praetoria disiecerat paulo divorsius sed omnes tamen advorsis volneribus conciderant.“ Et paucis post ubi ultimo proelio belli fugitivorum Spartacum, ut aequa omnes condicione dimicarent, equum a servis adductum transfixisse Plutarchus tradit, quis est, quin eiusdem Sallusti in coniur. Catil. 59, 1 meminerit huius dicti: „remotis omnium equis, quo militibus exaequato periculo animus amplior esset, ipse pedes exercitum pro loco atque copiis instruxit.“ Quibus reputatis si ad narratiunculam illam Plutarchi cap. 8, serpentem Spartaco puero dormienti appropinquasse caputque circumplexum quasi omen futurae et terribilis potestatis abisse antequam illi nocuisset, accedimus, dubitamus an non Maurenbrecherum sequi necesse sit, qui e Sallustio

1) Lipsius, Debrossius, Meissner p. 118.

eam sumptam esse negavit; immo quod unum omnino fontem Plutarchum his capitibus secutum esse verisimillimum, ne dicamus certum est, hoc quoque Sallustio rectius attribui videtur. Ceterum Plutarchus, cum non tam servorum tumultum quam Crassi vitam enarrare statuisset, ea quae multis declarata in fonte legerat paucis comprehendit; quare capitibus X et XI saepius quam iis quae praecedunt illius vestigia eum ingredi etiam nos videmus. Quid? Plutarchus initio cap. X sic tradit: πολλοὶ διὰ δόξαν αὐτῶι καὶ φιλίαν συνεστράτευον τῶν ἐπιφανῶν, Sallustium ipsa nomina fortium virorum, qui in Crassi cohorte fuerunt, posuisse suspicamur, quae brevitatis causa Plutarchus reticuit. In eundem modum eum rem egisse videmus, si longa illius fragmenta Vaticana 3, 96 et 98M. cum nono capite Plutarchi comparamus. — Restat, ut in unam rem, cum de ceteris optime Maurenbrecher disseruerit, in finem capitis undecimi inde a Κράσσου δὲ τῆι τύχηι χρησαμένου inquiramus. De cuius particulae fontibus nos nihil scire confiteri debemus: aut ex eodem loco e quo reliqua hoc Plutarchus sumpsit aut e quo caput duodecimum, quod est de consulatu Crassi et Pompei; sed ovationem Crassum egisse Sallustius memoriae prodere haud omiserit.

Nec plura verba de vitae Pompei capite XXI facere consilium est; se ipse Plutarchus hoc loco paulo indiligentius exscripsit, qui duodecim milia et trecentos milites ultimo proelio cecidisse narrat, cum in Crassi vita tractanda accuratius rem exposuerit, Gallorum enim tot milia paucis diebus ante cum Gannico et Casto ducibus supremum diem obierant; qua de causa Plutarchum Crassi vitam scripsisse, antequam Pompei compilaret, iudicare necesse est, id quod his quidem locis neglectis multis aliis argumentis Michaelis[1]) probare studuit.

1) Michaelis: de ordine vit. parall. Plutarchi p. 40 et 47.

Sequitur, ut caput octavum vitae Catonis obiter attingamus, qua in vita enarranda Plutarchum Thraseae Paeti scriptis usum esse Peter l. c. p. 65—68 probavit, Paetus pro sua parte Munatium Rufum exscripsit, qui socius et comes Catonis saepe fuit.

De Plutarcho tota fere quaestione transacta pauca alia quae deinde mentione digna videntur suo loco in disputationem vocabimus. — Nunc cum praeter ipsius Sallusti fragmenta Plutarchi epitoma ut ita dicam Sallustiana uti liceat, in reliquos rerum scriptores facilius quam Maurenbrecher, qui duos fontes Plutarcho fuisse concluserit, inquirere possumus.

Ac primum quidem exploremus, utrum Flori epitoma Livi qui dicitur liber in bello Spartacio exponendo vere epitoma Liviana sit necne; quam cum partim e Sallustio partim e Livio compilatam esse Maurenbrecher p. 42 putaverit, tripertita nobis exsistit quaestio, quod primum disceptandum est, num omnibus de rebus Florus hoc capite libri, qui Livi epitomam se gerit, cum ceteris reliquiis Livi consentiat; nam si plane congrueret, tantum abesset, ut nonnulla e Sallustio Florum sumpsisse putaremus, ut illum Livius secutus esse videretur. Sed dissentit in nonnullis Florus; illud quidem, quod triginta mancipia ludum Capuensem reliquisse, mox decem milia concurrisse dicit, in censum non venit, quod pro argumento vendere Maurenbrecher suo iure veritus est; sed secundum Livium captivae matronae in honorem Spartacum ludos edidisse, cum Florus qui hactenus cum Appiano convenit in funere ducis cuiusdam fugitivorum id factum esse narraret, recte monuit.[1] Accedunt nonnullae res quas

1) Ante Maurenbrecherum, quod ille omisit, de hac narratione egit Franclin Arnold l. c. p. 101 n. 44: „Seine Quelle ist hier Sallust.“

quidem Florus exhibet, omittunt Velleius, Eutropius, Orosius, periochae Livi; neque tamen, quod e silentio exiguarum reliquiarum Livi conclusiones facere levius est, ut cum illo Florum dissentire probemus, eas afferre possumus.

Itaque materiae inopia ad alteram quaestionem deducimur, quem fontem Florus, qui cum Livio non satis convenire videatur, habuisse putandus sit. Sallustium eum esse primus C. Heyn[1]) vidit, idem nuperrime Maurenbrecher nonnullis testimoniis comprobavit; itaque tantum ea, quibus illius argumenta augeri possunt, proferre in animo habemus, velut Thorani cladem, quam Florus memorat, nescio an Sallustius quoque narraverit, apud quem (3, 96 A Maur.) Thorani nomen ut legati Varini invenitur; deinde quomodo Italiam servi popularint, Florus cum Plutarchi capite nono consentit: ἐπόρθουν ἐπιπορευόμενοι τὴν Ἰταλίαν = „totam pervagantur Campaniam"; tum cum Plutarcho conferimus haec Flori verba: „captaque de praetoribus insignia et fasces ad ducem attulere" = τέλος δὲ τοὺς ῥαβδούχους καὶ τὸν ἵππον αὐτοῦ λαβών; nam alterum, scilicet fasces, Florus e Sallustio deprompsit alterum, equum, Appianus[2]); aliis locis idem uterque mutuatur, sicut equitatum quem Spartacum paravisse dicunt[3]), Lentulumque in Apennino monte victum esse congruunt.[4]) Ne eam quidem quam alioquin cognovimus indolem Flori hoc capite desideramus, quippe qui fossam, qua Spartacum Crassus a reliqua Italia seclusit, cum illa fossa, apud quam ultimum belli proelium coepisse

---

1) Heyn: De Floro historico. Diss. Bonn. 1866; contradixit de Gutschmidt: Kleine Schriften III, 504. Adice Vogel: acta semin. Erlang. II, 438.

2) Cf. I, 116 Ὀαρινίου δὲ καὶ τὸν ἵππον αὐτὸς Σπάρτακος περιέσπασε.

3) Flor. § 7 = App. l. c. 119 et 120.

4) Flor. § 10 = App. ib. 117.

Plutarchus capite undecimo demonstrat[1]), ita confudit, ut hoc ederet: „ibi circa Bruttium angulum inclusi tandem eruptione facta dignam viris obiere mortem et quod sub gladiatore duce oportuit sine missione pugnatum est"; qua re alia ex parte satis copiosum fontem Floro fluxisse declaratur. Etiam nunc de Sallustio dubitas? proinde conferas libri quarti fragmentum 41. cum Plutarcho et Floro: „haud impigre neque inultus occiditur" = αὐτὸς ἑστὼς καὶ κυκλωθεὶς ὑπὸ πολλῶν ἀμυνόμενος κατεκόπη = „Spartacus ipse in primo agmine fortissime dimicans quasi imperator occisus est[2])".

Quae cum ita sint, ad tertiam quaestionem accedimus, solamne Sallusti sapientiam Florus compilaverit an Livi aliorumve libros praeter illum in usum vocarit; quod ut diiudicemus, plerumque uno fonte eum contentum esse nobis repraesentamus, quem quanta nonnumquam levitate excerpserit flosculisque ornatum pro historia vendiderit, saepius cognovimus, quam ut plures simul libros eum, ubi in rebus offendit, adhibuisse cuiquam persuadeamus; adice quod illo Maurenbrecheri argumento haec opinio non confirmatur; nam verba „effracto Lentuli ludo" quae etiam apud Eutropium 6, 7 legantur, quoniam „effringere" vocabulo non raro et poetas et pedestres scriptores[3]) uti inter omnes constat, e Livio fluxisse cur coniciamus causam non reperio. Quid? cum alio loco 1, 44 sic Sallustius scripsisset: „ut in M. Mario cui fracta prius crura et oculi effossi, scilicet ut per singulos artus exspiraret" rhetor ad hunc modum sub-

1) Παραστρατοπεδεύσας τοῖς πολεμίοις ὤρυττε τάφρον.

2) De mortis Spartaci narratiunculis conferas Vogel l. c. 439.

3) Plaut. Stich. 327, Sen. Phoen. 159, Tac. ann. I, 21 „carcere effracto solvunt vincula". Apud Ciceronem habes" valvam effringere", „fores effringere".

mutavit: „Marium ducis ipsius fratrem aput Catuli sepulcrum oculis effossis, manibus cruribusque effractis servatum aliquandiu, ut per singula membra moreretur.“ [1]) — Ideo a veritate nos non aberrare speramus, si unum Sallustium Florum secutum esse censemus.

Nunc ad Appianum [2]) accedimus, quod Floro separato e Livi annalibus tantula frusta exstant, ut anquirere satius videatur, nonne bellorum civilium libri primi capita 116—120 nonnulla praebeant, quae aut ad Livium supplendum iuvent aut eum ceteris rerum scriptoribus certius et evidentius opponant. Hoc quidem Maurenbrechero placuit Appianum multis locis Sallustium exscribere, nonnullis vestigia alterius cuiusdam scriptoris premere, a Livio non paucis prorsus abhorrere; quam in sententiam quominus discedamus, certa argumenta prohibent, quae nunc ponantur.

Capite 116 fugitivos ἐς ἑβδομήκοντα μάλιστα [3]) e Capuano ludo evasisse quod Appianus dicit Maurenbrecher ut minoris momenti rem neglexit. Tamen si modo duobus fontibus usus est, incertum numerum, quod in fontibus diversa repperrerat, eum posuisse verisimile est; qua de causa apud Sallustium LXXVIII, secundum Livium LXXIV gladiatores

---

1) Val. Max. 9, 2, 1 et Firm. Matern. 1, 3 ed. Bas. p. 10; vid. Maurenbrecheri praef. fasc. II. p. XVI.

2) Schwartz: Pauly-Wissowa R. Enc. II 1, 222.

3) Vernacula lingua fere: „rund siebenzig“; cf. Appian. b. c. I 121 ἀμφὶ τὰ ἑξήκοντα μάλιστ' ἔτη ἀπὸ τῆς ἀναιρέσεως Τιβερίου Γράκχου, accuratius a nece Gracchi quartus et sexagesimus annus fuit. Ceterum conf. Joh. Theod. Voemel: Ueber den Gebrauch von μάλιστα bei Zahlen. Frankfurt a. M. 1852 p. 7—8: „μάλιστα je nach der Absicht des Zusammenhangs zu uebersetzen durch gerade, rund, voll, gewiss, mag nun der Sinn unserem Wenigstens oder Hoechstens entsprechen“.

primo fuisse fortasse conducit admonere. — Discrepantiam deinde quandam inter Livium et Appianum Maurenbrecher sibi repperisse videtur, quod septuaginta milia servorum Spartacum coegisse hic tradat; certe XL milia aliquando Spartacum et Crixum habuisse Orosius narrat, neque vero eodem tempore, quo Appianus LXX milia convenisse narrat, hoc fuisse traditum est, cum praesertim eas res, quae Clodio fugato exeunte anno acciderint, Hispanus epitomator modice perstringat. — Neque de priore vita Spartaci Appianus a Livio „graviter discrepare“ videtur, primum enim Livium a Floro compilari propter verbum „effringere“ concludendum esse supra negavimus, tum rhetorico scriptori fidem omnino non tribui posse ipsa docent haec Flori verba: „de stipendiario Thrace miles, de milite desertor, inde latro, deinde in honorem virium gladiator“. Paulo post ab Appiano nomina praetorum Claudi Glabri et Varini turbari Maurenbrecher p. 146 notare omisit, qui Claudio Glabri cognomen fuisse ignorat.[1])

Quod sequitur caput 117 res anno 72 gestas continet; ubi Appianus, quatenus ab altero consule Crixum fugatum, mox a Spartaco utrumque victum, deinde etiam iunctas copias consulum superatas esse exponit, tam cum Livio quam cum Sallustio convenit; Gellium enim vicisse, victum esse Lentulum e Sallustio Plutarchus[2]) sumpsit, Lentuli cladem in Apennino fuisse ex eodem Sallustio Florus[3]) servavit, Liviumque secutus Orosius[4]) hoc scripsit: „Gellius Crixum acerrime pugnantem proelio oppressit, Lentulus a Spartaco superatus aufugit, post etiam conlatis frustra ambo consules copiis accepta gravi clade fugerunt.“ Itaque, ut praetermittamus periocham Livi libri 96 Arri praetoris nomen

1) Vid. adnot. 1 ad pag. 80. 2) Cap. 9.
3) II 8, 10. 4) V, 24, 4.

pro Gelli consulis exhibentem, e Sallustio an Livio Appianus hauserit, dubitaremus, nisi viginti milia e Crixi manibus occidisse cum Livio consentiret: ἡγούμενος τρισμυρίων ἀνδρῶν . . . δύο μέρη . . . ἀπώλετο; neque enim quod Gellium brevitatis causa, sicut ceteroquin Orosius, pro Arrio nominat, Sallustium subaudire necesse est. Aliquantum autem difficultatis exsistit cum de funere Crixi eam quam supra cum Sallustio consentire cognovimus narrationem Appianus tradiderit, sed certum insuper addiderit numerum trecentorum captivorum, quos manibus Crixi Spartacus sacrificasset[1]), veluti Livius quadringentos habet.[2])

Exeunte deinceps capite denuo neglegentiam illam, quam Maurenbrecher in „Appiano latinum auctorem excerpente“ saepius reprehendit, cognoscere licet, qui tunc servitia agrum Thurinum vastavisse commemorat; nam quis est, qui uno eodemque anno Consentia et Metaponto in Apenninum montem, ubi Lentulum fugavit, tum in Galliam, deinceps Thurios Spartacum exercitum duxisse credat, unde iterum in Picenum profectus Mummium superavit, ut Plutarchus refert; postremo etiam in Bruttium fuga facta hieme anni 72 a Crasso inclusus est? immo priore anno postquam Varinio victo Campaniam vexavit, Thurios petivit; quem errorem soli Appiano tribuimus, auctoribus crimini non vertimus. Sed inde a verbis minime τὰ δ' ὄρη τὰ περὶ Θουρίους unum fontem, Livium, Appianus deseruit, ad alterum Sallustium, convertit, cuius vestigia etiam Maurenbrecher invenit collato fragmento 4, 20 cum Appiani θαμινὰ ἐπὶ λεηλασίας ἐξῄεσαν; contra de alia re falso doctissimus vir

1) Cic. de har. resp. § 26: „mihi etiam generis sui mentionem facit, cum Athenionis aut Spartaci exemplo ludos facere maluerit quam C. aut Appi Claudiorum.“

2) Oros. 5, 24, 3.

iudicavit, qui Varronis[1]) et Appiani congruentiam, cum uterque „Spartacum interdixisse castris suis, ne quis aurum aut argentum haberet“ memoriae proderet, inde explicandam esse censuit, quod haec e Sallustio hausissent; at Varronem quin Sallustius, hunc Appianus secutus sit, dubitari nequit, praesertim cum Sallustium historias Varrone tum fere octogenario scripsisse constet.

Appiani de hieme quam Spartacus Thuriis degit unus error alterum traxit, sic enim capite 118 legimus: τριέτης τ' ἦν ἤδη καὶ φοβερὸς αὐτοῖς ὁ πόλεμος; hic mendum Appiani iacere Maurenbrecher non modo non vidit, sed ad chronologiam edendam praecipue hoc loco utendum esse putavit proleg. p. 41; quod quantopere cum sententia ceterorum rerum scriptorum pugnet, suo loco videbimus, interim satis habeas neutiquam mirum videri Appianum, cum de hibernis Spartaci loco non exposuisset, temporibus erravisse. Nihilo magis nunc comitia explicare in animo habemus, quibus Crassus praetor creatus est[2]), aut numerum legionum[3]); nam consulares legiones quas ille accepit cum Mummianis Appianus confudit. — Ceterum ut de supplicio referret, quod Crassus in Mummium copiasque eius exprompsit[4]), non solum Sallusti verum etiam Livi libros Appianus inspexit; e Sallusti enim sententia non totas legiones Mummi sed πεντακοσίους τοὺς πρώτους καὶ μάλιστα τρέσαντας Crassus decimavit, quem numerum ut duabus legionibus minus congruentem hoc

1) Plin. n. hist. 33, 49: „cum sciamus interdixisse castris suis Spartacum ne quis aurum haberet aut argentum; tanto plus fuit animi fugitivis nostris“. Index libri primi hoc ordine auctores affert: Gracchanum (§ 36), Pisonem (§ 38), Verrium, Varronem, Corvinum (§ 50). — Cf. pag. 72.

2) Conferas pag. 85 sq.

3) Legas pag. 83 sq.

4) Paucis annis ante L. Cornelium Sullam crudelissime hostes decimasse Pausanias perieg. 1, 20, 6 auctor est.

modo Appianus velavit: τῶνδε μὲν αὐτίκα διακληρώσας ὡς πολλάκις ἡττημένων ἐπὶ θανάτωι μέρος δέκατον διέφθειρεν; quibus explicatis Livium secutus additamentum addit Crassum, cuius totum exercitum Spartacus turpiter in fugam coniecisset, ex octo legionibus i. e. e quadraginta milibus militum decimum quemque securi caedi iussisse: πάντων διακληρώσας τὸ δέκατον καὶ ἀνελὼν ἐς τετρακισχιλίους. Quae cum ita sint, verbis: οἱ δ' οὐχ οὕτω νομίζουσιν ἀλλὰ παντὶ τῶι στρατῶι . . . ad „anonymum fontem" Appianum redire Maurenbrecher bene intellexit; sed quod eodem auctore (Livio) usque in tertiam partem insequentis capitis eum usum esse affirmat, nos aliter sentire confitemur; neque enim verbis capitis 119 οἱ δ' ἐν ἄστει Ῥωμαῖοι . . . ad alium fontem exscribendum transisse Appianus putandus est, sed inde a capitis 119 verbis his: „Σπάρτακος δ' ἱππέας usque ad minime capitis 120 verba ὤσατο παντὶ τῶι στρατῶι διὰ τοῦ περιτειχίσματος unum fontem subesse, non modo quod continuam narrationem, si quidem hoc argumentum proferre licet, nusquam interruptam videmus, sed etiam propter equites illos, quorum initio et fine particulae a nobis separatae mentionem facit, suspicari malumus; atque Sallustium tribus de causis subaudimus: primum de equitatu a Spartaco parato omnes tacent rerum scriptores praeter unum Florum, quem Sallusti non Livi vestigia premere supra effecimus; tum Appianus, quod Pompeium Magnum senatus consulto arcessitum esse tradit, cum Plutarcho et de ipsa re et de temporibus consentit, quamquam alter altero loco de imperio Cn. Pompei disserit; Crassum enim, quamvis paulo ante, ut Pompeius auxilio sibi mitteretur, datis ad patres litteris ipse summopere intendisset, tum cum vallum a Spartaco superatum esset, illum iam exspectare noluisse capite undecimo Plutarchus quasi supplet iis quae praecedunt; Appianus eandem rem ad ipsum tempus narrat, quo hanc epistolam

praetor Romam misit; tertium argumentum nomen „Σπαρτάκειον ἔργον“ praebet, de quo Maurenbrecheri notam 3 paginae 44 initio huius capitis citavimus.

Sed redeamus, unde egredi coacti sumus. Nam de fine capitis 118 deque initio insequentis (ὁποτέρως δ' ἔπραξε usque ad θάρσος μεταβολή) quaestio quaedam subdifficilis oritur, utrum ex eodem an e diversis fontibus haec pars narrationis ducta sit; quae quaestio, tametsi de iis quae antecedunt et quae sequuntur certam opinionem capere conati sumus, tamen an ad strictum finem perduci nequeat nescimus. Agitur de cladibus servorum: primum multos Spartaceos qui a maiore parte exercitus discessissent victos, tum etiam Spartacum a Licinio Crasso superatum et ad fines Italiae propulsum esse; quem, cum Samnium petere cogeretur, duodecim milia militum perdidisse; hic igitur si quaerimus, quando eam cladem dux servorum acceperit, ut tot milites amitteret, dubitare possumus: aut cum Thurino vallo superato septentriones peteret aut antequam e Piceno profectus in Bruttium veniret, Crassus eum adortus est. Hoc et alii putant ea quam ostendimus difficultate non intellecta et Maurenbrecher pro certo aestimat, cum de proelio, quo Spartacus evadere studuisset, loquitur; illud quamquam adhuc nemo deliberavit, nihilo magis neglegendum est, quod Spartacum praetori Romano ὑπεκχωρῆσαι διὰ Λευκανίας εἰς θάλασσαν apud Plutarchum decimo capite scriptum est; tunc enim e Piceno venit, ubi cum exercitu eum circumvenire nequiquam Crassus conatus erat; qua cum narratione Plutarchi (ὑπεξεχώρει) optime convenit Appiani βιαζομένου εἰς τὴν Σαυνῖτιδα διαδραμεῖν; accedit quod, si stilum respectamus, Appianum non progredientes res significare sed ad illud νικήσας καὶ τόνδε λαμπρῶς ἐδίωκε φεύγοντα quasi adnotationem dare illud αὐτίκα docet. Denique servos postquam e Bruttio evaserunt, quam-

quam ad Silarum quidem fluvium pervenisse Orosius narrat, ipsum Samnium iterum attigisse non satis constat; quam ob rem sic res intellegi potest: Crassus hostes e Gallia appropinquantes primum circa Picenum excipere constituit, sed victo Mummio legatique copiis punitis decem milia Spartaceorum devincere contentus esse debuit[1]), priusquam Spartacum qui Samnium interim vexabat denuo aggrederetur.

Quoquo modo res se habet, cum Maurenbrechero sic quidem convenimus, ut Sallusti historiis negemus Appianum usum esse inde a capitis 118 οἱ δ' οὐχ οὕτως usque ad 119 μεταβολή. Quae deinceps leguntur rursus Sallusti sunt, priora Livi; nam praeter illa Orosi verba modo exscripta Livianus est numerus caesorum: Oros. „sex milia interfecit nongentos vero cepit = Appian. „δύο αὐτῶν μέρη scilicet e decem milibus κατακανών."

Capitis 120 primam particulam in Sallustio positam esse supra monstravimus neque verbis ὡς δὲ καὶ Λεύκολλον ἔμαθεν Appianum fontem mutare existimandi ansam habemus, immo Sallustium Luculli mentionem fecisse e Plutarchi cap. 11 scimus; at quem hoc loco cognoscimus manifestum errorem — propter Luculli e bello Mithradatico reditum Spartacum de consilio Brundisi aggrediendi destitisse fabulatur Appianus — ut Plutarchi narratio non exstet, non Sallustio attribuendum esse sed Appiani culpa admissum apparet, qui M. Terentium Varronem Lucullum[2]) cum fratre L. Licinio Pontico confudit. Ceterum sicut saepe Appianus vera cum

1) Hanc cladem, de qua etiam Livius verba facit (vid. Oros. § 6 „is mox . . . cepit") cum Camalatrensi proelio nescio quibus causis adductus Maurenbrecher p. 44 conturbat; facilius eam cum pugna ad lacum Lucanum commissa comparares, nisi temporum ratio etiam eiusmodi coniecturae obstaret.

2) M. Terentius Varro Lucullus proc. Thraciae hoc anno bellum ad finem perduxit; expugnavit urbes, quae Mithradati obtemperabant. Liv. ep. 97; cf. Mommsen R.Gesch. III 42, Niese Abriss R.Gesch. 133.

falsis mirum in modum turbat et miscet, ut uno eodemque capite levia memoriae prodat et ea quae maximi momenti sunt, sic hoc loco, postquam auctorem de Lucullo male intellexit, unam gravissimam rem tradit, quam ceteri rerum scriptores omittunt: Spartacum pacis condiciones a Crasso postulasse, sed a praetore Romano gladiatorem fugitivum contemptum esse; quae pactiones apud Tacitum ann. 3, 73 subaudiendae sunt: „ne Spartaco quidem post tot consularium exercituum clades inultam Italiam urenti, quamquam Sertori atque Mithradatis ingentibus bellis labaret res publica, datum, ut pacto in fidem acciperetur“. Sallusti historias in exscribendo Appianum deinde perseverare Maurenbrecher recte affirmat; sed cum argumenta, quibus ad hanc opinionem adductus sit, doctissimus vir reticuerit, duo nunc proferimus: conferas igitur Appiani κυκλωθέντας cum Plutarchi φυγόντων τῶν περὶ αὐτὸν αὐτὸς ἑστὼς καὶ κυκλωθεὶς ὑπὸ πολλῶν ἀμυνόμενος κατεκόπη; adice quod fugitivorum quantum numerum occiderint ignorat (φόνον οὐδ' εὐαρίθμητον), e Romanorum exercitu mille occubuisse dicit, cum Livius[1]) sexaginta milia servorum necata esse referat, sex milia capta, Romanorum tria milia e captivitate recepta. — Fontes extremae particulae capitis 120 diiudicari, opinamur, nequeunt: Livianus[2]) est numerus fugitivorum quos crucibus Crassus fixit, sed utrum confecto bello fugitivi, qui e Spartaci exercitu capti supererant, necati sint an idem talis numerus servorum e diversis et per montes dissipatis manibus coactus sit, apud Appianum in dubio est.

Nunc venimus ad eas narratiunculas quas Iulius Frontinus e Spartaci belli rebus gestis elegit. Duobus locis de

1) Epit. 97, Eutrop. 6, 7, Oros. 5, 24, 7.
2) Oros. l. c.

pugna illa atrocissima refert, qua Gallos Germanosque Spartaci auxilia Licinius Crassus praetor devicit; quas diversas pugnae expositiones cum nonnulli viri docti aliquo modo communicandas necnon exaequandas esse putarent, et alii et Maurenbrecher nulla ratione iungi posse intellexerunt; in quorum sententiam nos pedibus imus, sed de fontibus, quia aliter atque egregius vir iudicamus, pauca disseramus; altero enim loco 2, 5, 34 ipso strategemate demonstrato haec verba adiecta legimus: „XXXV milia armatorum eo proelio interfecta cum ipsis ducibus Livius tradit, receptas quinque Romanas aquilas, signa sex et viginti, multa spolia, inter quae quinque fasces cum securibus"; quae si ipse Frontinus addidit, ea quae antecedunt non e Livio sed ex alterius cuiusdam auctoris libris deducta sunt, quibus nullus numerus caesorum continebatur; sin autem additamentum non Frontini est sed recentioris nescio cuius rerum scriptoris, numerus fonte contineri potuit, sed Frontinus, cuius pluris interfuit strategema enarrare, illum omisit, quem postea libelli redactor comparatis annalibus Livi adiecit. Neque plerique viri docti certa additamenta redactori cuidam tribuere verentur[1]) neque Maurenbrecher contra facit; nam quomodo fieri potuisse credis, ut Frontinus de Camalatrensi proelio bis verba faciens semel e Livio hauserit, iterum narratione ex altero rerum scriptore mutuata numeros Livianos adiunxerit? Re vera strategema a recentiore auctore suppletum esse Gundermanno unusquisque concedet; quodsi ita res se habet, dubitari nequit, quin redactor eam narrationem Frontini, quam cum Livio artius convenire vidit, e Livio compleverit, non quae ab illo longius abhorruit; qua de causa Maurenbrecher haud acute paragraphum 2, 4, 7 e Livio fluxisse affirmavit. Immo postquam alterum illum locum 2, 5, 34

1) G. Gundermann: praef. in edit. Front. strateg. § 9.

cum Livio consentire suspicati sumus, hunc fortasse Sallustianum esse iudicare licet; primum enim quas Frontinus habet duodecim cohortes eaedem sunt atque Plutarchi ἑξακισχίλιοι ἄνδρες capitis undecimi; tum ea argumenta, quibus cum Plutarcho hoc strategema componi non posse nonnulli dixerunt, parum valent; deinde, ut alia ex parte sententia nostra confirmetur, conferas Frontini strategema 2, 5, 31 cum Plutarchi vitae Sertori capite 18, scilicet duas narratiunculas ex eadem Lauronis oppidi obsidione exhibitas; quae quamquam e Sallustio ambae fluxerunt tamen paucis aequantur sic rebus enarratis, prout ipsam obsidionem tractare aut de Sertori insidiis auctor referre voluit; quo factum est, ut Frontini redactor e Livio, qui cum Sallustio mediocriter dissentit, adiecerit, quot milia militum in exercitu Cn. Pompei amissa essent.[1])

Quomodo Spartacus castra Claudi Glabri apud Vesuvium montem repentino impetu facto oppressisset, Frontinus 1, 5, 21, ut Maurenbrecher credit, e Sallustio, e Livio tantum numerum servorum sumpsit; quin Livium totius loci fontem esse putamus? quod simplicius videtur, quam si duos auctores de una levissima re Frontinum compilasse suspicamur, cum praesertim quasi curta sententia pleraque strategemata belli fugitivorum e Sallustio fluxisse Maurenbrecher demonstrare intendat. — De paragraphis 1, 5, 22 et 1, 7, 6 iis quae Maurenbrecher l. c. pag. 45 sq. demonstravit vix quicquam addendum est.[2]) — Paragraphum 1, 5, 20 e Livio depromptam esse idem vidit; argumentis eius hoc adicimus

---

1) Sall. hist. 2, 29, Maurenbrecher proleg. 36, Bieńkowski: de fontibus et auctoritate scriptorum historiae Sertorianae, Acad. Cracov. VIII, 1890, p. 20, 21. Ed. Woelfflin: Frontins Kriegslisten. Hermes IX, 1875, pag. 72—92.

2) Woefflin l. c.82.

Spartacum apud Sallustium fame coactum e Bruttio erumpere[1]), apud Frontinum eum „fossam caesis captivorum pecorumque corporibus" replere.

Livius ad quem nunc pergimus res bello gladiatorum gestas libris 95, 96, 97 inseruit; de copiosa eius expositione paucas reliquias vel epitomas exstare notum est, quae tamen ea qua Freinsheim voluit ratione componi et restitui nequeunt. Immo periochis, quae quasi fundamentum praebent, primum Eutropium adicimus, e cuius breviario, quod cum ceteris reliquiis annalium Livi plane congruit, ad tumultum Spartacium nihil memoria dignum est, nisi quod Spartaco postremum in Apulia victo bellum confectum esse dicit.

Secundus est locus Vellei Paterculi, quem Livio sua debere viri docti suspicati sunt; neque in eorum sententiam ire dubitamus, cum nulla re, quod videamus, contra Livi epitomas pugnet; nam paragrapho 5 capitis 2, 30 numerum LXIV emendandum esse Lipsius bene intellexit, cui adstipulati sunt Burmeister, Vogel, alii.[2]) Deinde quod Velleius sic narrare pergat: „fugitivi e ludo gladiatorio Capua profugientes duce Spartaco raptis ex ea urbe gladiis primo Vesuvium montem petiere" Maurenbrecher prol. pag. 43 Livi hanc narrationem fuisse confirmat, cum Appianus servos arma ex obviam factis curribus sibi rapuisse cum Plutarcho consentiat. Sed inter Appianum, qui capite 116 Sallustium, ut supra demonstravimus, potissimum secutus e Livio nonnulla addidit aut mutavit, et inter Plutarchum paucae intercedunt

---

1) Plut. Crass. 10: λείας ἐπιλειπούσης.

2) Vogel l. c. 437 sq. Burmeister: De fontibus Vellei Paterculi. Berl. Stud. Philol. Archaeol. 1882 p. 57.

varietates; praeterea Velleio, qui etiam brevius quam Florus de gladiatoribus disseruit, similem atque illi fidem nos tribuere confitemur.[1])

Orosius totam descriptionem tumultus fugitivorum e Livio compilasse videtur praeter unum flosculum quo, ut est indoles presbyteri Hispaniensis, paragrapho 3 sic scribit: „scilicet qui spectandi fuerant spectaturi, utpote lanistae gladiatorum potius quam militum principes“, quo loco quin ad haec Flori verba: „quasi plane expiaturus omne praeteritum dedecus, si de gladiatore munerarius fuisset“ spectaverit, eo minus dubitari potest, quod Orosium Livio remisso brevitatis causa e Floro et ex Eutropio nonnulla sumpsisse Udalricus Koehler l. c. p. 45 luculenter demonstravit. — Sed vituperamus, quod Livium sine diligentia Orosius exscripsit; nam C. Cassius proconsul Galliae pugnae ad Mutinam commissae supervixit, vixit etiam anno 66 „integritate virtute constantia singulari“. (Cic. de imp. Cn. Pomp. § 68.)

Postremo si periochis Eutropio Velleio Orosio selecta capita Frontini strategematon 1, 5, 20 et 21; 2, 5, 34 et Appiani bellorum civilium libri primi e capitibus 116—119 ea quae suo loco separavimus adieceris, omnia habebis, quae de Spartaci bello e Livio annalibus nunc iam supersunt.

Rebus hoc modo congestis ad affinitatem fontium cognoscendam tres quaestiones instituere utile est: primum enim, id quod propter singulare rei momentum, quod viri

1) Quae apud Velleium § 5 leguntur: „numerus in tantum adulevit, ut qua ultima dimicavere acie XL ACCC hominum Romano exercitui opposuerint“, emendari nequeunt. Notas numerarias haud raro sic corruptas esse ut vocabulum AC quoda mmodo existeret inter omnes constat; cf. Cic. de rep. 2, 20, 36; si apud Velleium idem mendum irrepsit, XL milia DCCC legendum est, quamquam „hominum“ adiectum videmus; sed hic numerus et a Sallustio et a Livio et ab Appiano mirifice abhorret.

docti inique neglexerunt, saepius attigimus neque vero, antequam materiam contulissemus, perficere potuimus, videamus, quaenam ratio de multitudine servorum memoriae prodenda inter Sallustium Liviumque intercedat, tum, quantum hoc quidem opus est, de quibus rebus ambo dissentiant, tandem, quibus conveniant, explanemus.

Atque Capua e ludo gladiatorio septuaginta quattuor homines secundum Livium fugiunt, Sallustius LXXVIII evasisse tradidit, ut Plutarchus vit. Crass. cap. 8 docet; nam historiarum libri tertii fragmentum 90 in censum non venit, quod cur ex illis scholiastae ad Horati ep. 16, 5 verbis ullum e Sallustio depromptum esse iudicemus, causa non invenitur; immo nihil aliud dicere voluit nisi hoc, Sallustium tertio libro historiarum de ea re agere, cuius Horatius meminisset; quam ob rem tantum abest, ut Plutarchi verba emendanda esse censeamus, ut fugitivorum numerum apud Sallustium LXXVIII fuisse affirmemus[1]). Qua via Appianus dissensum Livi et Sallusti diiudicare vitaverit, scimus. Cicero et Florus[2]) paucissimos servos Capua effugisse, e minimis principiis maximum bellum natum esse demonstrare contendunt: ille epist. ad Att. 6, 2, 8 „non amplius inquis quinquaginta; cum Spartaco minus multi primo fuerunt“, hic „triginta aut amplius“ tradit. Eodem sensu Augustinus de civ. Dei 4, 5 sic scribit: „quando paucissimi gladiatores in Campania de ludo fugientes magnum exercitum compararunt, tres duces habuerunt, Italiam latissime et crudelissime vastaverunt“, cum alio loco (3, 27) hoc habeat „ex paucissimis, hoc est minus quam septuaginta“; quod postre-

1) Aliter iudicat P. Juerges: de Sallusti histor. reliquiis capita selecta. Diss. Gotting. 1892 (Einbeck) p. 16; cf. etiam Vogel l. c. 436.

2) Notam numerariam Flori emendandam esse coniecit Vogel l. c. 437 sq.

mum e Graeco quodam rerum scriptore, cuius εἰς ἑβδομήκοντα ἄνδρας μάλιστα ut nostrates male intellexit, videtur fluxisse.

Certos numeros gladiatorum Sallustius ceteroquin afferre non solet, nimios respuit, aut moderatur saltem; quod ut demonstretur, testimonia colligantur: Sall. fr. 3, 98 A 16 stolide copiis adfluentibus; ib. D 10 duplicato iam fugitivorum numero; Plut. Crass. 9 προςεγίνοντο πολλοὶ τῶν αὐτόθι βοτήρων καὶ ποιμένων αὐτοῖς (servis): et οἵ δὲ πλήθει ὄντες ἰσχυροί, paulo post τὸ Γερμανικὸν ἅπαν διέφθειρε; cap. 10 Σπάρτακος ὥρμησεν δισχιλίους ἄνδρας ἐμβαλὼν εἰς τὴν νῆσον (Siciliam) αὖθις ἐκζωπυρῆσαι τὸν δουλικὸν ἐκεῖ πόλεμον, tum idem Spartacus vi per fossam vallumque Crassi perrupit ὥστε τῆς στρατιᾶς περαιῶσαι τὸ τρίτον; capite quod sequitur 11 haec habemus: πολλῶν (servorum) ἐκ διαφορᾶς ἀποστάντων αὐτῶν καὶ στρατοπεδευσαμένων καθ᾽ αὑτοὺς; eodem capite τριακοσίους ἐπὶ δισχιλίοις καὶ μυρίοις necatos esse Plutarchus narrat, quod a fide minus abhorret quam quod Livius ea pugna XXXV milia hominum cecidisse tradit; ultimo proelio belli ὁ Σπάρτακος ἅπαν παρέταξεν τὸ στράτευμα — οἱ διαφυγόντες ἐμπεσόντες αὐτῶι (Pompeio) διεφθάρησαν qui utrum sex milia an plura fuerint non traditur; ex Appiano his Plutarchum supplere possumus: cap. 116 ἔνθα πολλοὺς ἀποδιδράσκοντας οἰκέτας καί τινας ἐλευθέρους ἐκ τῶν ἀγρῶν ὑποδεχόμενος — ταχὺ πλῆθος ἦν ἀνδρῶν — Σπαρτάκωι μὲν ἔτι μᾶλλον πολλοὶ συνέθεον; 120 γενομένης δὲ τῆς μάχης μακρᾶς τε καὶ καρτερᾶς ὡς ἐν ἀπογνώσει τοσῶνδε μυριάδων — . . . κατεκόπτοντο . . . ὡς φόνον γενέσθαι τῶν μὲν οὐδ᾽ εὐαρίθμητον . . .

Rursus quot milia militum Romani servis fugitivis opposuerint, Sallustius non ignorat; ex [illegible] haec sunt: f. 3, 96 A 20 „et tamen interim cum vo[illegible]bus numero quattuor milium iuxta illos castra posuit (Varinius); ib. C 17

pavens se recipit, ut exercitum duplicaret"; Plut. 9 Κλωδίου στρατηγοῦ μετὰ τρισχιλίων πεμφθέντος ἐκ Ῥώμης — ὑποστρατηγόν τινα Φούριον ἔχοντα δισχιλίους στρατιώτας ἐτρέψαντο — Κοσσίνιον ἀποσταλέντα μετὰ πολλῆς δυνάμεως ἐπιτηρήσας ὁ Σπάρτακος — Λέντλου δὲ τὸν Σπάρτακον μεγάλοις στρατοπέδοις περιλαβόντος — Κάσσιος ὁ τῆς περὶ Πάδον Γαλατίας στρατηγὸς ἔχων μυρίους ἀπήντησε . . . πολλοὺς ἀποβαλὼν μόλις αὐτὸς ἐξέφυγε; cap. 10 Μόμμιον δὲ πρεσβευτὴν ἄγοντα δύο τάγματα — πολλοὶ μὲν ἔπεσον πολλοὶ δ' ἄνευ τῶν ὅπλων φεύγοντες ἐσώθησαν — πεντακοσίους δὲ τοὺς πρώτους . . . εἰς πεντήκοντα διανείμας δεκάδας ἀφ' ἑκάστης ἀπέκτεινεν ἕνα κληρῶι λαχόντα, quod Appianum supra vidimus sic occultasse: ἐπὶ θανάτωι μέρος δέκατον διέφθειρε; capite 11 Crassus ἄνδρας ἑξακισχιλίους ἀπέστειλε ad praeoccupandum montem = Front. 2, 4, 7 „duodecim cohortes"; Appian. 120 ὡς φόνον γενέσθαι . . . Ῥωμαίων . . . ἐς χιλίους ἄνδρας. Quae cum ita sint, eo maiorem fidem Sallustio tribuimus, qui, cum Romanorum multitudinem bene comperisset, caute cavit, ne de copiis servorum fictos numeros propagaret.

Livius non item, qui certam theoriam numerorum, ut ita dicamus, aut secutus est aut ipse condidit; quod ut evidentius perspiciatur, periochas et epitomatores et asseclas Livi conferamus: primo exercitus servorum quadraginta milibus constabant; nam Crixo duce X milia, Spartaco XXX milia per Campaniam vagabantur (Oros. § 2); paulo post, cum interim secundum Eutropium LX milia fuissent, triplicem fugitivorum multitudinem contra Romanos Livius pugnantem facit, i. e. CXX milia hominum (App. 117), quorum triginta milibus Crixus praeerat (App. ib., Liv. per. 96); plures servos numquam Spartacus coegit, sed ab hoc tempore exercitum paulatim minutum esse Livius tam accurate narravit, ut totidem fere fugitivos proeliis aut cecidisse aut captos esse traderet; quae computatio luce clarior est:

Crassus praetor primum decem milia hostium feliciter aggressus duas partes necavit (App. 118), vel VI milia cecidit nongentos vero cepit (Oros. § 6); tum ex exercitu Spartaci, cum per Samnium iter faceret, bis sex milia interfecit (App. ib.); brevi post de Gallorum Germanorumque exercitu cum duce Gannico caesa sunt quinque ad triginta milia (Liv. per. 97, Frontin. 2, 5, 34); ultimo tandem proelio LX milia cecidisse, VI milia capta esse Orosius (§ 7 = App. 120 fin.) dicit; si summam facis, centum undeviginti milia et nongentos Spartacum amisisse cognoscis ex CXX milibus quae antea, cum Romae urbis aggrediendae consilium caperet, eum sequebantur. Fidem Sallustio quam Livio maiorem tribuendam esse manifestum est, sed numeri servorum aptissimam ansam praebent cognoscendi, quanta inter Livium et Appianum intercedat congruentia. Neque enim desunt, qui Livio quicquam Appianum debere negent.

Nunc ad alteram quam proposuimus quaestionem progrederemur, nisi eas res, quibus Livius cum Sallusti narratione dissentit, explanare propterea supersederemus, quod Maurenbrecher totam de tumultu fugitivorum dissertationem sic instituit, ut, quantopere ab illo abhorreret Livius, exponeret.

Quam ob rem ad tertium munus deducimur ea colligendi, quibus ambo consentire videntur et quae doctissimus vir inique omisit: primum de nominibus Spartaci Crixi Oenomai, quamquam paucis diebus, postquam fugitivi Capua relicta Vesuvium montem occupaverunt, Oenomaus supremum diem obiit, qua de causa neque in periocha Livi neque apud Plutarchum nomen eius legitur, Livius (Eutr.+Oros.) et Sallustius (Flor.) consentiunt; tum narrationem de clade Claudi Glabri, quam Frontinus 1, 2, 21 Livium secutus praebet, tam bene in Plutarchum Sallusti epitomatorem quadrare videmus, ut ipsum Sallustium eum exscripsisse

Maurenbrecher putaverit. — Varinio praetore victo (Liv. per. 95) servitia per Italiam vagabantur (Eutr.), alias urbes et Consentiam et Metapontum vastabant, ut Orosius dicit; Sallustius eadem oppida et Nolam et Nuceriam nominaverat (Flor.); neque de hibernis Spartaci Thurinorum in oppido habitis Livium tacuisse vel inde concluditur, quod Appianus duobus fontibus hoc loco permixtis in errorem de annorum ratione inductus est; praeterea conferas Orosi verba haec: „itaque cum incendiis rapinis stuprisque omnia miscerent" cum Sallusti fragmento Vaticano 3, 98 B 19 sq: „rapere ad stuprum virgines matronasque et alii . . . nunc restantes et eludebant, simul nefandum in modum perverso vulnere et interdum lacerum corpus semianimum omittentes; alii in tecta iaciebant ignis multique ex loco servi, quos ingenium socios dabat, abdita a dominis aut ipsos trahebant ex occulto; neque sanctum aut nefandum quicquam fuit irae barbarorum et servili ingenio" et paulo post „quos crudeliter caedibus occupatos". — Ludos gladiatorios captivorum Romanorum Spartacum edidisse inter Sallustium et Livium, quamquam de singulis rebus dissentiunt, in universum convenit; neque, quod cum Appiani capita tractaremus intelleximus[1]), de cladibus consulum, quas Cassi fuga proconsulis Galliae subsecuta est, dissensus reperiuntur (per. libri 96 + Oros. = Flor. + Plut.); quibus cladibus gravissimis Romam nuntiatis senatum summum imperium belli Licinio Crasso mandasse item congruunt neque de anno, quo hoc factum est, Livius a Sallustio abhorret; postremo expositionem ultimi huis belli proelii quam Orosius profert: „Spartacum disposita acie congressum" conferas cum Plutarchi vitae Crassi cap. 11 ἅπαν παρέταξε τὸ στράτευμα; et quod „ceteri qui ex hoc bello lapsi oberrabant

1) Vid. pag. 56.

per complures duces frequenti indagine attriti sunt" (Oros.), Plutarchus fine capitis modo citati (adice vit. Pomp. 21) de Pompeio verbosius scribit; quam ob rem nos quidem non dubitamus, quin plura fragmenta, si e Livio et Sallustio exstarent, non solum dissensiones verum etiam consensus aliquantum augerent.

Reliquum est, ut de fontibus Sallusti et Livi nonnulla edamus, sed ut affinitatem narrationum quae aetatem tulerunt investigare haud facile fuit, sic difficillima et prope desperata res est de fontibus illorum rerum scriptorum tractare, e quorum libris admodum pauca cum labore restituimus aut restituere saltem conati sumus; quam ob rem haec potius quaestio instituenda est, librosne nonnullorum auctorum primi a. C. saeculi Sallustius Liviusve exscripsisse videantur.

Ante ceteros nominandus est M. Terentius Varro, ad quem supra, cum de Appiano ageremus, adducti sumus; namque edictum illud Spartaci, ne quis aurum aut argentum negotiator Thurios in hiberna servorum apportaret, et Sallustium auctorem Appiani b. c. 1, 117 et Plinium n. h. 33, 49 e Varrone sumpsisse constat[1]); ne librum quidem Terenti, quem illi inspexerunt, viri docti definire dubitaverunt, quod „e rerum urbanarum libro tertio" de ipsius Spartaci vita fragmentum quoddam apud Charisium 1 p. 133 K servatum est: „Spartaco innocente coniecto ad gladiatorium" [2]). Ad haec duo Varronis de bello gladiatorum testimonia etiam tertium accedit; Gellius enim, quo capite (n. A. 5, 6, 23) de coronis ovantium narrat, Licinium Crassum laurea pro murtea usum esse tradit; idem apud Plinium

1) F. Muenzer: Beitraege zur Quellenkritik der Naturgeschichte des Plinius. Berolini 1897 p. 237. Ceterum vid. pag. 58.

2) Peter: fragm. hist. Rom. p. 236.

n. h. 15, 125 legimus, qui Masurium Sabinum secutus est.[1]) Quam ob rem ad totum tumultum servorum explicandum Varronis libros non mediocrem fontem Sallusti fuisse suspicamur.

Aliter res se habet cum C. Licinio Macro[2]); qui cum anno 66 supremum diem obisset, et orationes et historiae, quas Ciceronis et Livi et Plini temporibus in manibus multorum fuisse scimus, ei supervixerunt; quod ad illas attinet, Sallustium, sicut saepe orationes, quas clarissimi viri ad senatum et ad populum adhibuerant, novatas suisque exornatas flosculis libris inseruit, etiam eam contionem, quam tertio historiarum libro Licinium Macrum ad plebem habentem facit, ad ipsius orationis exemplum finxisse verisimile est, quam tr. pl. scriptam propagaverat. Historiarum hodie complura fragmenta e libro primo, duo e secundo exstant; unum frustum e libro XVI apud Priscianum servatur, sic tamen, ut quid hoc libro expositum fuerit, cognosci iam nequeat; tandem liber XXI citatur (Non. p. 221 s. v. patibulum): „patibulum genere neutro, masculino Licinius rerum Romanarum libro XXI deligat ad patibulos . . . deligantur et circumferuntur, cruci defiguntur". Sed Licinio Macro tribuendum esse negat Peter hist. Rom. fragm. p. 271, qui Clodio Licino consuli suffecto anni p. C. 4 id adscribit? neque tamen recte fecisse videtur, nam de Clodio Licino cogitare supervacuum est, quod codex H prima manu „Lucinius" ceteri codices (FLVE cum altera manu codicis H) „Licinius" exhibent. Nos libro XXI Licininm de tumultu Spartacio verba fecisse cum Linkero[3])

1) Mercklin: de Varrone coronarum Romanarum militarium interprete praecipuo. Progr. univers. Dorpat. 1859.

2) Fragmenta Licini cum nonnullis testimoniis habes apud Peterum l. c. p. 190 sq.

3) Linker: de Sallusti historiarum prooemio. Diss. Marpurg. 1850, p. 17. — Sall. fr. 3, 9; cf. Flor. 1, 42; ad patibuli usum videas Mommsen: R. Straf-R. 920 n. 3.

iudicare malumus, quam ad M. Antoni bellum Creticum fragmentum revocare; sed quoquo modo res se habet, Macer historias ad consulatum Licini Crassi perduxisse videtur, cui quanta familiaritate iunctus fuerit notum est. Liviusne Licinium ad Sullae Pompeique aetatem describendam inspexerit necne dubitamus.

Alium rerum scriptorem, cuius libris Sallustius usus sit, afferre difficile est, quamquam multos Bieńkowski[1] numerat, qui „in Sullae morte non constiterunt, sed ultra hanc aetatem progressi sunt"; quorum e numero, quod ne Livius quidem ad bella Sertorianum aut Spartacium enarranda eos exscripsit, plerosque expellendos esse apparet; nam libros Q. Lutati Catuli, quem primum nominat, compilatos quidem a Livio esse prope certum est[2], sed nono anno ante L. Cornelium Sullam Catulus obiit[3]; de Lutatio autem Daphnide parum compertum habemus, qui ceteroquin Q. Catulo annis vix inferior fuit[4]. Tanusium Geminum, C. Clodium Licinum, L. Voltacilium Pitholaum (sic! cf. Hertz Mus. Rhen. 43, 1888, 312) propter materiae inopiam abnuimus, item L. Aurunculeium Cottam, quem praeter C. Iuli Caesaris expeditionem Britannicam quicquam scripsisse non constat; C. Oppium excludimus, quod vitae tantum Corneli Scipionis, C. Iuli Caesaris, C. Cassi nominantur; ne Pompei quidem vitam exposuisse videtur, quod, quotiens ille inducitur, de amicis inimicisque Caesaris dictatoris agitur; Procilium antiquitates Romanas, non historiam, tractasse

1) L. c. p. 50.

2) Eutrop. 5, 2: „tria et triginta Cimbris signa sublata sunt; ex his exercitus Mari duo reportavit, Catuli exercitus triginta et unum; is belli finis . . ."

3) Cic. Brut. 307, de or. 3, 9, de nat. deor. 3, 80, Tusc. disp. 5, 56. Diod. 38, 4, 2 sq. Plut. Mar. 44. App. b. civ. 1, 74 et cet.

4) Sueton. de gramm. et rhet. 3 p. 102 Rf.

elucet[1]); Hortensius Hortalus a Livio non citatur; T. Pomponi Attici et Corneli Nepotis doctiores quam suaviores libros praeter chronologicas res aut prosopographicas quemquam inspexisse negamus; reliquus est fere solus Q. Aelius Tubero, qui ab origine urbis usque ad minime bellum civile Caesaris et Pompei historias pepigit[2]).

Sequitur ut quaeramus, num Claudius Quadrigarius, quem Bieńkowski omisit, de rebus primi saeculi scripserit; atque de annis quidem ante mortem Sullae quaestio facile expediri potest, quod Livius, cum res anni 82 narraret, eo usus est; sed etiam de insequentibus annis vestigia reperiri putamus; nam fragmentum 95 P de fugitivis est, ut videtur: „agrum Nolanum populare coeperunt", nisi forte Hannibalis milites subaudiendi sunt, et fragmentum 91 P quod Servius exhibet ad eum annum spectat, quo Spartacus Thuriis hiemabat; accedit, quod Nonius librum XXI laudat, nam libro XIX Claudius res bello civili gestas exposuerat. — Tandem ad Fenestellam venimus, cuius librorum Livium respectum non habuisse, quamquam fere omnia fragmenta e Plutarcho et Plinio colliguntur, apud Livium Fenestella numquam citatur, non verisimile est.

Sed plurimum interest illum auctorem indagare, cui magnos numeros servorum Livius debuit, nisi vero ipsum eos finxisse credis. De Valerio Antiate quicumque eius indolem novit primo cogitabit; neque tamen illius vitio, quamquam multa fabulatus est plurimosque numeros incredibiliter extulit, multitudo servorum aucta est, quod quos scripsit annales libros non ultra annum 82 deductos esse luculenta dissertatione Frid. Muenzer comprobavit, quam nostra quidem sententia L. Holzapfel minime infirma-

1) Muenzer l. c. 116. Schanz. Roem. Litt.gesch. I, § 112, 4.

2) Nipperdey: Zur Geschichte d. roem. Historiographie. Philol. 6, 1851, n. 4.

vit[1]) :Narrantem enim, quomodo Valerius Flaccus interrex Sullam dictatorem dixisset, Valerium Antiatem finem historiae fecisse quis est quin satis lepidam hanc coniecturam Muenzeri putet; idem doctissimus vir, quod Gellio de numeris librorum fides non habenda esset, quinque ad septuaginta annales non fuisse bene intellexit. Quaerentes igitur, quis alius rerum scriptor Livio quasi in locum Antiatis successerit, ad bellum Sertorianum spectamus, quo similiter atque in bello Spartaci frequentias exercituum omnem modum veritatis et fidei egredi videmus; Sertorium nonnumquam centum quinquaginta milibus praefuisse, Metellum Pompeiumque ad centum viginti octo milia militum duxisse legimus; conferas sis Plutarchi vit. Sertori 12, 13, 18, Pompei 18, 19, Appiani bell. civilium 1, 110, 112, praecipue Orosi libri quinti 23 § 4, 6, 9, 10, 11, 13; hic bene evenit, quod Orosius 5, 23, 9 auctorem Livi nominat: „fuisse tunc Pompeio triginta milia peditum, mille equites Galba scribit, Sertorium autem sexaginta milia peditum, octo milia equitum habuisse commemorat“[2]). Qua de causa etiam bello Spartacio ingentes numeros a Sulpicio Galba[3]) admixtos esse conicere licet,

---

1) Muenzer: Zu den Fragmenten des V. A.-Hermes 32, 1897, 469 sq.; Beitraege p. 238; L. Holzapfel Sull' età di Valerio Anziate, Rivista di storia antica 4, 1899, 51 sq.

2) Bieńkowski l. c. 44; Peter fr. p. 237.

3) C. Sulpicium Galbam, natum circa annum a. C. 64, avum Servi Sulpici Galbae imperatoris fuisse Suetonius Galb. 3 tradit; sed quod Ser. Sulpicium Galbam consulem anni a. C. 144 historici auctoris patris avum fuisse idem perhibet, propter temporum rationem aliter sentimus; stemma familiae hoc fere modo exstruendum est:

Ser. Sulpicius Galba	natus anno fere 187,	cos. 144.
Ser. Sulpicius Galba	„ „ „ 156,	cos. 108.
Sulpicius Galba	„ „ „ 125.	
Ser. Sulpicius Galba	„ „ „ 94,	stip. fecit 61, pr. 54.
C. Sulpicius Galba	„ „ „ 64,	praetor (?)

praesertim cum libri eius, quos Iuba rex Numidiae exscripsit (Plut. Rom. 17) et quibus Plinius libro 36 usus est, non ignoti fuerint. Iam vero quaestio oritur, utrum ipsum Sulpicium Livius inspexerit an Iubae historiam, ut inde sicut Plutarchus Galbae nomen haberet; et hoc quidem disceptari nequit.

Ceterum conferas Drumann[1]) l. c. 3, 701; Mommsen: Roem. Muenzwesen 1860, 645 n. 297.

CAPUT QUARTUM.

Fontium affinitate utut in exigua materia fieri potuit perscrutata paucas chronologicas et alias quaestiones adiungimus. Postquam enim fides auctorum iam clarius apparuit, ut nonnullae temporum indicationes ab illis praecipue ab Appiano allatae falsae detectae sint, progressum rerum tumultu gladiatorum gestarum nunc certius nos perspicere speramus, quam nuperrime Maurenbrecher, quem in ea ipsa re offendisse puto, quod, antequam fontium auctoritatem tractaret, quaestionem quandam chronologicam solvit. Praeterea nonnullae quaestiones maioris momenti oriuntur, una de cursu honorum qualis belli aetate fuerit, altera de legionibus Gelli Lentulique consulum, tertia de imperio belli Cn. Pompeio a senatu dato, quas viri docti iniuria neglexerunt.

Bellum grave et periculosum gladiatorum a tumultu Capuensi initium cepisse, cum LXX fere servi e ludo Lentuli fugerent, omnes rerum scriptores consentiunt; priore coniuratione patefacta Spartacum alteram cum maiore eventu concitasse unus Plutarchus memoriae tradit: ἐβουλεύσαντο μὲν διακόσιοι φεύγειν, γενομένης δὲ μηνύσεως οἱ προαισθόμενοι καὶ φθάσαντες ὀγδοήκοντα δυεῖν δέοντες ἔκ τινος ὀπτανείου κοπίδας ἀράμενοι καὶ ὀβελίσκους ἐξεπήδησαν; meminisse conducit ducentos servos fere XXX annis ante Capuae seditionem movisse, quam Diodorus Siculus 36, 2, 1 narrat: δευτέρα ἐπανάστασις ἡ περὶ Καπύην διακοσίων οἰκετῶν ἀποστάντων καὶ ταχὺ κολασθέντων. Quid? Sallustius cum

Spartacii belli principia exponeret, de priore illa seditione admonere potuit, quam celeriter exstinguere Romanis contigisset; itaque rei publicae imminens periculum olim feliciter submotum esse, tunc Spartaco duce maximum bellum exstitisse. Talibus Plutarchum sicut saepe, ubi Latini auctoris libros exscripsit vel Graece vertit, male intellectis id, quod nunc legimus, scripsisse licet suspicari, quamquam suspicionem aut probabilitatem quandam res non excedit.

Quoquo modo res se habet, tumultum anno 73 ortum esse inter omnes constat; sed negavit Schambach? certe negavit, sed argumenta quaedam protulit, quae ridicula suo iure Maurenbrecher prol. 40 n. 3 vocavit; errores Schambachi hoc loco omnino non refutaremus, nisi plus merito dissertationem eius legi et citari videremus, tametsi septuaginta annis ante de eadem re multo accuratius Meissner scripsit quam Schambach, qui totam chronologiam belli gladiatorum funditus evertisse sibi videbatur; nam cum Orosius sic habeat: „Anno a. u. c. DCLXXVIIII Lucullo et Cassio coss. gladiatores LXXIV Capua e ludo Cn. Lentuli diffugerunt . . .“ Schambachi ratio ea est, ut consulum nomina praetereat, quomodo anni Orosiani redigendi sint, ignoret, olympiadis sextae annum tertium anno a. C. n. 754/3 respondere nesciat; eodem furore in Eutropium saevit, et quod deinde bellum in quartum annum gestum affirmat, veteres rerum scriptores aliter tradunt et reliqui et Eutropius „tertio anno bello huic finis impositus“. Quid multa? quot argumenta tot errores indigni, qui refellantur.

Ceterum, ut etiam ex hac parte prior opinio de annis tumultus comprobetur, coniurationem Capuensem anno 73 factam esse non solum Eutropius et Orosius sed etiam periochae annalium Livi docent; e quibus libro 90 res anni 78, 91 res anni 77 Livium tractasse potest cognosci; liber qui sequitur 92 ea quae proximo anno et initio anni 75

facta sunt continuit; eiusdem anni exitum Livius libro 93 enarravit adiunctis rebus anni 74 („M. Aurelius Cotta cos."), quas insequenti libro ad finem perduxit; hac periocha cum L. Licinius Lucullus consul appelletur, quinta et nonagesima pro consule inducatur, dubitari non potest, quin eo libro Livius res anni 73 disseruerit; liber 96 fuit de anno 72, liber 97 de posteris duobus. Itaque in tres partes annales Livius bellum fugitivorum divisit, singulas singulis libris inseruit, sed medii libri contextum diremit, cum de Sertori nece ante C. Cassi proconsulis cladem referret.

Accedit quod tumultum servilem anno 73 erupisse ipsis Sallusti reliquiis confirmatur; nam exeunte anno 75 Cn. Pompeius epistulam illam ad senatum mittit, lamentis non parcit: in Italiam brevi se rediturum esse neque hostes moraturos, nisi statim exercitum patres sibi supplerent. Proximi anni mense Ianuario cum consules de his litteris ad senatum rettulissent, placuit, ut duae legiones conscriberentur (Sall. hist. 2, 98), quae, si fugitivi iam tum bellum movissent, in Hispaniam non missae essent. Eodem anno 74 a. d. IV. Id. Dec. Licinius Macer tr. pl. magistratum iniit, quem Sallustius non ante Kal. Ian. ad plebem contionantem facit (3, 48 § 11 „superiore anno") multisque querentem de calamitate plebis et de bellis, de fugitivorum periculo nihil. Pridie Id. Oct. eiusdem anni Claudius Glaber[1]), quem primum contra servorum manus

1) C. Claudium C. f. Arn. Glabrum (vid. Muenzer l. c.) Plutarchus et Orosius praetorem, ep. Livi legatum vocant. Nescio an propter ordinem nominum in S. C. de Oropo (I. Gr. S. 413), qui is est, ut post M. Claudium Marcellum aedilem anni 91 (Cic. de or. 1, 13, 57), numquam consulem, sed praetorem anno fere 88 Glabri nomen exstet ante C. Licinium Sacerdotem praetorem anno 75, suspicari liceat Glabrum intra annos 88 et 75 praetorem fuisse; neque enim in numero designatorum praetorum fuit, quod Marcelli

patres miserunt, in senatu adest. Quaestio exoritur, Claudiusne tum e legatione in Campaniam redux Romam fuerit an servi nondum rebellaverint; illud Muenzer l. c. putavit, sed hoc magis nobis placet, quod non solum celerrime seditionem auctam esse rerum scriptores concordant, sed etiam Varinium, qui in Claudi locum successit, praecipiti autumno manus cum Spartaco conseruisse constat.

Itaque circa Id. Oct. Spartacus Crixus Oenomaus Capua e ludo Cn. Corneli Lentuli Batiati[1]) cum suis eruperunt; neque enim Novembri eos evasisse verisimile est, quod etiam hoc anno complures legati ac praetores Romani haud bene rem gesserunt; servi fugitivi Acerras se contulisse videntur, unde Vesuvium[2]) montem petiverunt; ibi postquam vigiles Capua accursantes in fugam verterunt, a C. Claudio Glabro, qui III milia militum iussu senatus e Campania quam celerrime conscripserat, inclusi sunt; sed castris Romanorum ex improviso oppressis et deletis, ne denuo includerentur, montes reliquerunt et ingentibus brevi tempore agminibus et mancipiorum et liberorum hominum e paupere agrestium multitudine coactis agrum Nolanum[3]) impune vastaverunt, deinde Nuceriam[4]) oppidum appetiverunt. Interim senatus Varinium[5]) praetorem in Claudi locum vocaverat; qui fugitivos talibus copiis quales ei fuerunt

---

nomen antecedit, cum designatos praetores ante praetorios sententiam rogare consules soliti sint, nisi forte etiam Marcellum tunc designatum putas praetorem fuisse undevicesimo anno postquam aedilitate functus est.

1) Plut. Crass. 8; Liv. ep. 95; Oros. 5, 24, 1.

2) Sall. hist. 3, 92; Vell. Pat. 2, 30, 5; Flor. 2, 8, 4; Frontin. str. 1, 5, 21; Plut. l. c. 9; Appian. bell. civ. 1, 116; Oros. l. c. § 1.

3) Flor. § 5. 4) Flor. ib.

5) Sall. h. 3, 96 sq.; Plut. 9; Liv. ep. 95; Flor. § 5; Frontin. 1, 5, 22; App. 116; Cic. pro Flacc. 19, 45. Cf. Wehrmann l. c. 42, Waddington 672.

se oppressurum esse vix speravit, cum magna pars militum autumni gravitate aegra esset, alii „e postrema fuga cum severo edicto iuberentur non reverterentur"; duo enim legati eius gravi clade affecti erant, prius Furius[1]) cum duobus milibus prope Vesuvium montem, quod e rerum conexu videamus, deinceps Cossinius[2]) praetor, quem prope Herculanum oppressum gladiatores fugatis militibus necaverunt. P. Varinius, compluribus proeliis fatigatus, uno fasces et equum amisit; qua calamitate accepta maiore diligentia bellum, ut videtur, gerens C. Thoranium[3]) quaestorem Romam ad senatum misit, ipse, cum vix IV milia militum ad manus haberet, castris iuxta servos munitis intercipere eos constituit; sed cum Spartacus noctu effugisset, denuo manus servorum Campaniam vastabant; praetor Cumis[4]) nova subsidia accepit, mox refectis copiis hostes persequi coepit, quos nescio an in Salernitano agro se comprehendere posse putaverit. Iterum Spartacus ei decessit et itinere per montes facto Picentiam pervenit, tum Eburum, deinde ad Nares Lucanas et Anni Forum[5]). Quae omnia quando fuerint, fragmenta Vaticana historiarum Sallusti docent: illud diximus gravitate autumni milites Romanos multa passos esse; ad Anni Forum servitiorum copiae interim duplicatae medio mense Novembri fuisse videntur, quod tum „matura in agris erant autumni fru-

1) Plut. 9.

2) Sall. 3, 94. Plut. ib. περὶ Σαλίνας; Salinae Herculis nominantur Colum. 10, 135, Liv. 22, 1, 10; aliae sunt Salinae Romanae ad portam Trigeminam et salinae prope Ostiam sitae.

3) Sall. 3, 96 A 17. 4) Ib. 3, 96 C 20.

5) Ib. 3, 98 B; ad Nares Lucanas vid. tab. Peuting. segm. VI 5; Anni Forum alioquin non nominatur; sed primo ante Chr. saeculo in Italia multos locos recentissime conditos mox desertos esse notum est; conferas ad regionum vastitatem orationem illam, quam Metellus cens. habuit (Liv. ep. 59).

menta" [1]. Ineunte Decembri cum etiam Thoranius [2] victus esset, Varinius iam non servos persequebatur, qui per Lucaniam vagati Thuriis hiemabant, unde egressi proximas regiones usque ad Consentiam urbem populabantur [3].

Primo anno belli gestas res brevi in conspectu ideo collegimus, quod viri docti, quamquam narrationes veterum rerum scriptorum inter se non dissentiunt, eas componere omiserunt; secundi anni aut proelia aut itinera, quae notissima sint, enumerare in animo non habemus; sufficit commemorare, qua via Spartacus e hibernis Thurinis ad consulum exercitus aggrediendos in Samnium processisse putandus sit. Servi enim Thurinorum urbe relicta multisque quae in litore sita erant oppidis oppugnatis Metapontum [4] hoc anno ineunte diripuerunt, neque vero usque Tarentum eos pervenisse verisimile est, quam urbem si tunc expugnassent, non dubium est, quin auctores memoriae traditari fuerint, sed Metaponto gladiatores adverso Casuento fluvio vel Bradano ad fines Samnii venerunt.

De exercitu consulum nunc agendum est, qui ibi iis obstitit. Duas tantum legiones consules habuisse Appianus cap. 117 dicit, confirmat cap. 118, quo Crassum sex novas legiones ad consulum accepisse narrat. Neque tamen fidem ei habere possumus pluribus de causis: primum ambo consules et Arrius pr. pr. tripertito agmine servis occurrerunt, quos duarum legionum tres partes fecisse non puto; accedit, quod contra singulos exercitus fugitivos pugnasse constat;

1) Messis medio mense Novembri; cf. Nissen: Ital. Landeskunde 1, 399 n. 4; imbres mens. Oct. et Nov. accidere solent; cf ib. 391. Ceterum imbribus messibusque commemoratis Maurenbrecheri opinio de successione fragm. 3, 96 et 3, 98 Sallusti comprobatur.

2) Flor. § 5. 3) Flor. ib; Oros. § 1.

4) Flor. ib.; Oros. ib.

nam Crixum ab Arrio victum[1]), Lentulum a Spartaco fugatum esse[2]), cum Appiani fontes tractaremus, diximus; postea iunctae Arri Gellique copiae[3]), postremo omnes tres exercitus simul superati sunt[4]); tum mos est[5]), ut, si ambo consules ad bella gerenda Roma proficiscuntur, binas uterque legiones accipiat; tertia causa est, quod quinque aquilas de exercitu consulum fugitivi ceperunt, quas ultimo belli proelio Crassus feliciter recepit, nisi forte Crassum complures aquilas amisisse credis; postremo si ad duas legiones sex novas idem accepisset, non tam de „novo supplemento militum“ quam de novo exercitu Orosius verba faceret.

1) Appian. περὶ τὸ Γάργανον ὄρος, nescio an in Arpino, nisi Garganum montem cum Gargaro fluvio (Claud. Quadr. fr. 91 P) conturbasse dubium auctorem putas. — Arrium praetura functum anno 73 postero anno, cum in Siciliam mitteretur, cum consulibus contra fugitivos pugnasse brevique post decessisse, id quod Klebs (Pauly Wissowa: Real-Enc. II 1252) conclusit, nescio an his confirmetur: „Biennium prope“ (Cic. in Verr. act. II. lib. 2 § 62) Heraclius Syracusanus et Bidinus Epicrates, quem paulo post bonis omnibus Verres pepulerat, Romae fuerunt; qui ineunte anno 70 a L. Caecilio Metello restituti sunt. Itaque anno 72 Heraclius Siciliam reliquit, cum eodem anno, antequam iterum intra XXX dies Rupilia lege Verres iudicia sortiretur, fore ut Arrius „quem provincia tum maxime exspectabat“ Verri succederet, sperasset (ib. § 37—38). — Cf. Borghesi œuvres I, pag. 39 sq. (Della gente Arria.)

2) In Apennino saltu, nescio an in Hirpinis; Plut. Crass. 9; Liv. ep. 96; Flor. 2, 8, 10; Oros. 5, 24, 4; App. b. c. 1, 117.

3) Liv. ep. 96.

4) Περὶ τὴν Πικηνῖτιδα γῆν (circa Fiscellum montem?) App. l. c.; Oros. l. c. § 4.

5) Polyb. 6, 26, 3; Liv. 22, 27, 10. 42, 32, 5; vid. Mommsen: R. Staats-R. I[3], p. 51; Neumann: Gesch. Roms II[2] p. 66 cum nota Faltini. — Ne Plutarchus quidem de duabus legionibus, quas consules accipiebant, cogitare videtur, qui sic scribit: οὐκέτ' οὖν τὸ παρ' ἀξίαν καὶ τὸ αἰσχρὸν ἠνώχλει τῆς ἀποστάσεως τὴν σύγκλητον, ἀλλὰ δὴ διὰ φόβον τε καὶ κίνδυνον ὡς πρὸς ἕνα τῶν δυσκολωτάτων πολέμων καὶ μεγίστων ἀμφοτέρους ἐξέπεμπον τοὺς ὑπάτους.

Proxima quaestio est de praetura Crassi. Spartacum enim, qui C. Cassium pro cos. Galliae provinciae necnon Cn. Manlium praetorem aestate anni 72 superaverat[1]), cum in Italiam reverteretur, sive Alpes montes, quos transgressurus erat eum deterrebant, sive servi, quos saepius eum regere non potuisse constat[2]), ut signa converteret, eum coegerunt, in Piceno a M. Licinio Crasso praetore exceptum esse rerum scriptores narrant.

Diversae autem sententiae de praetura Crassi vigent, cum alii eum hoc anno, alii insequenti praetorem fuisse dicant, neque de imperio quod contra fugitivos accepit omnes viri docti consentiant; plerique anno 72, quo cum servis pugnare coepit, praetura eum functum esse, in proximum annum prorogatum imperium accepisse dixerunt, donec Maurenbrecher proleg. 40—41 novam opinionem se proferre arbitratus, cum re vera eam, quam Car. Nipperdey[3]) constituerat, refricaret, sic iudicavit: Crassum non ante annum 71 contra Spartacum missum esse eodemque anno — hoc contra Nipperdei sententiam contendit — praetorem fuisse; sed postea, cum ipsius argumenta parum valere intellegeret, appendice III ad Sall. hist. p. 231 sententiam mutavit. Ne tum quidem recte doctissimus vir videtur suspicatus esse; duae enim quaestiones necesse est instituantur, altera de praetura Crassi, altera de imperio belli: hoc Lentulo et Gellio coss. i. e. anno 72 ei mandatum esse e Plutarcho

---

1) Plut. l. c. 9; Liv. ep. 96; Flor. § 10; Oros. § 4. Utrum Cn. Manlius hac clade cum Cassio fuerit, an cum alio exercitu victus, an in oppido quodam oppressus sit, dubium est.

2) Sall. fr. 3, 96D et 98B. Plut. l. c.

3) K. Nipperdey: Leges annales der roem. Republik. Lipsiae 1865 p. 27 sq. Senatum consules Romam reverti iussisse nequaquam incredibile; cf. App. Ib. 83 παρέλυσαν τῆς στρατηγίας τε καὶ ὑπατείας; vid. Liv. ep. 56; Oros. 5, 5, 13.

elucet, qui cum hieme ann. 72/71 nivosa nocte Spartacum per vallum Thurinum perrupisse diceret, per duos annos Crassum cum servis pugnantem fecit; praeterea apud eundem Plutarchum respicias hoc senatus consultum: ἡ βουλὴ τοὺς μὲν ὑπάτους πρὸς ὀργὴν ἐκέλευσε ἡσυχίαν ἄγειν, Κράσσον δὲ τοῦ πολέμου στρατηγὸν εἵλετο; potissimum autem illud argumentum, quod Maurenbrecher contra hanc opinionem quondam attulit „ex Appiani verbis minime obscuris c. 118 τριέτης τ' ἦν ἤδη καὶ φοβερὸς αὐτοῖς ὁ πόλεμος satis superque elucere anno demum 71 Crasso imperium mandatum esse“ iis causis refellitur, quas suo loco, cum de fontibus dissereremus, collegimus. Adde quod exeunte anno 72 consules copiis iam non praeerant, quos Novembri mense in senatu adfuisse apud M. Tullium libro II in Verr. § 95 sq. legimus. Sed comitiis huius anni Licinium Crassum praetorem in proximum designatum esse Appiano credere debemus: προτεθείσης τε στρατηγῶν ἄλλων χειροτονίας ὄκνος ἐπεῖχεν ἅπαντας, καὶ παρήγγελλεν οὐδείς, μέχρι Λικίνιος Κράσσος . . . ἀνεδέξατο στρατηγήσειν.

Sed obiciat aliquis, qua pactione hoc anno praetor postero consul fieri potuerit? quod multis claris viris res publica Romana paucis annis orbata erat[1]), quo factum est, ut C. Verres tres annos Siciliam vexaret, M. Fonteius per triennium Galliae Narbonensi praeesset, P. Servilius quinquennium exercitum haberet, Q. Caecilius Metellus Pius ab anno 79 usque ad eum de quo agitur in Hispania esset, itemque Pompeius ab anno 76; exempla augere, Lucullos

1) Cf. Cic. in Verr. act. II lib. 5 § 2: „Belli pericula, tempora rei publicae, imperatorum penuriam commemorabit“; pro Fonteio § 42 „Quid nunc vobis faciendum est studiis militaribus apud iuventutem obsoletis, fortissimis autem hominibus ac summis ducibus partim aetate partim civitatis discordiis ac rei publicae calamitate consumptis . . .“ ib. § 41 „continuae praeturae“.

aliosque illustrissimos viros commemorare facile est. Quid? cum Cn. Pompeium neque quaestura neque praetura functum consulem creatum esse constet, Crassum, qui gravissimum gladiatorum tumultum coercuit, e praetura consulatum inisse non credis? qui eodem subsidio ac Pompeius, scilicet timore legionum, summum in re publica honorem adeptus est.

Atque haec quidem de Crasso; proximum est, ut de Pompeio pauca loquamur. Immoderate hunc atque arroganter virtutem suam extulisse viri docti perhibent, qui periculo remoto paucissimos in Etruria servos oppresserit. Neque vero tam inique Pompeium reprehendere licet, quod ipse Licinius Crassus, cum in Bruttio angulo servos inclusisset, sive vallum putavit diutius custodiri non posse sive foedere cum praedonibus[1]) icto Spartacum in Siciliam bellum translaturum esse exspectavit, litteris[2]) ad senatum datis oravit, ut Pompeius ex Hispania, e Thracia Lucullus cum exercitibus arcesserentur. Quam veniam si petenti Crasso patres conscripti dederunt, suo iure Pompeius, quamvis bello paene confecto VI tantum milia necasset, laudis partem sibi sumere potuit. De precibus Crassi consentiunt Plutarchus et Appianus (vid. pag. 59) neque ipse gloriari omisit Pompeius neque assecla eius M. Tullius qui, cum de imperio belli Mithradatici diceret, haec protulit: „servile, navale bellum, varia et diversa genera et bellorum et ho-

1) Spartacus, cum infirmis navibus C. Verres pr. pr. Siciliae litore munito par esset, cum praedonibus egit; quos consueto tributo e Liparensibus coacto (Cic. Verr. 3 § 85 „Liparenses, qui tot annis agellos suos te praetore redimere a piratis solebant“) primum cum Spartaco pactionem fecisse, tum Syracusis apparuisse (Cic. ib. 3, 186; 4, 116. 144; 5, 86 sq. 96 sq; Oros. 6, 3, 5), postremo Melitam ad insulam navigasse verisimile est, ubi quotannis fere hiemabant (Cic. ib. 4, 104; anno 70 Metellus Pyrganionem devicit Oros. 6, 3, 5, Cicero Heracleonem nominat l. c. 5, 91).

2) Plut. l. c. 11; App. b. c. 1, 119.

stium, non solum gesta ab hoc uno sed etiam confecta (§ 28) — testis est iterum et saepius Italia quae, cum servili bello taetro periculosoque premeretur, ab hoc auxilium absente expetivit; quod bellum exspectatione eius attenuatum atque imminutum est, adventu sublatum ac sepultum (§ 30)". Ceterum Cn. Pompeium gladiatorum bello feliciorem quam fortiorem fuisse quis dubitabit? certo Crassus is est, qui in tanta rerum iniquitate patriam conservavit.

Ea quam de praetura deque imperio Crassi habuit opinione adductus Maurenbrecher proleg. 41 de reditu Cn. Pompei sententiam non rectam cepit. Certe exeunte anno pr. Kal. Ian. Pompeius triumphavit[1]), sed Italiam eodem fere mense, quo Crassus servos devicit, ingressus est; quod si suspicamur, etiam Sertoriani belli extremas res melius intellegimus: Sertorium anno 72 interfectum esse satis constat, sed proximo demum anno Perpernam fugatum ac necatum esse, id quod P. Bieńkowski[2]) voluit, vix credimus; primum enim plenum annum exercitui invito eum praefuisse propter malevolentiam militum non est verisimile; deinde cum sciamus, ubi aliis annis Sertoriani hiemem degerint, de hibernis ann. 72/71 nihil traditum habemus; tum coniurationem contra Sertorium factam brevissimo tempore[3]) Perpernae clades videtur subsecuta esse, quo mortuo in Uxamae et Calagurridis oppidorum longinquis obsidionibus Pompeius et Metellus occupati erant. Ceterum Perpernae mortem anno 71 fuisse Bieńkowski ideo arbitratus est, opinor, quod Cales urbem uno anno ante oppugnatam esse putavit; quae cum Drumanno anno 73 capta iudicanda est.

---

1) Mommsen C. I. L. I^2 p. 178.

2) P. Bieńkowski: Zur Gesch. u. Chronol. des Sertor. Krieges. Wien. Stud. XIII. 129 sq.

3) App. b. c. 1, 115; Plut. Pomp. 20 εὐθὺς οὖν, Sertor. 27 καὶ ταχύ.

Venimus nunc ad exitum belli: sex mensibus Crassum hostes superasse quod Appianus memoriae tradidit, nulla subest suspicio. Si a Septembri mense exercitui praefuit, Februario fere anni 71 bellum confectum est; quam ob rem nescio, an summa pace Kal. April. Capuae[1]) in amphitheatro cives ludos spectaverint. Aestate eiusdem anni cum comitia haberentur, Crassus et Pompeius consules creati sunt, exercitus etiam designati consules non dimiserunt, cum Metellus, ut primum Alpes digressus est, copias dimisisset[2]); quo factum est, ut extra pomerium ad populum Pompeius de tribunatu restituendo[3]) contionatus sit. Quando Crassus ovationem egerit, nescimus; id tantum traditum est eum murtea corona ut mos fuit non contentum fuisse, sed laurea coronatus ut incedere sibi liceret, a senatu impetrasse[4]).

---

1) C. I. L. X, 8070, 3. 2) Sall. hist. 4, 49.

3) Sall. ib. 4, 44—47, Cic. act. I in Verr. § 45 „Ipse denique Cn. Pompeius, cum primum contionem ad urbem consul designatus habuit . . .“

4) Plut. Crass. 11; Plin. n. h. 15, 125; Gell. n. A. 5, 6, 23; Cic. Pison. 58; Hieron. chron. ad ann. Abr. 1947. Cf. pag. 72.

EXCURSUS

ad Plutarchi vitae Sullae caput XXXVI.

Plutarchi vitae Sullae caput 36, cum a viris doctis, qui de fontibus Plutarchi scripserunt[1]), non satis respectum esse videremus, accuratius hoc loco tractandum esse supra (p. 15 sq.) diximus. Plutarchus Sullam dictatorem in pedicularem morbum incidisse narrat; catalogum addit eorum clarorum virorum, qui antea eodem fabuloso morbo perierint Acastus Alcman Pherecydes Callisthenes Mucius Eunus; capite vero quod sequitur 37 mortem Sullae sic enarrat, quasi phthiriasim numquam commemorasset. Ut igitur alterum illo alterum hoc loco auctorem ei fuisse suspicari debemus, ita ne hunc quidem ex uno eodemque fonte fluxisse apparet, sed inde a verbis λέγεται δὲ τῶν μὲν πάνυ παλαιῶν posterior quaedam pars a priore capitis dividenda est; accedit quod Plutarchus propter alterum auctorem, quem secutus mox mortem Sullae descripturus erat, occidisse eum pediculari morbo tradere non potuit. Fontem prioris partis[2]) accuratius tractare nihil ad rem; ad servilem tu-

1) A. H. L. Heeren: de font. et auctoritate vit. parall. Plut. Gottingae 1820, p. 159 sq.; Peter: Quellen Plutarchs. Halle 1865, p. 57—61; H. Busolt: Quellenkrit. Beitraege z. Gesch. d. roem. Revolutionszeit. Jb. Phil. Paed. 141, 1890, 434 n. 33; Kuyper: de fontibus Plutarchi et Appiani in vita Sullae enarranda. Diss. inaug. 1892. Cf. etiam I. Ziehen: Sullas Phthiriasis. Philol. 57, 1898, 189—191.

2) Maurenbrecheri opinioni, qui Posidoni historias cognosci posse negat (l. c. Proleg. p. 17), adstipulari confitemur, quamvis

multum nostra pluris interest cognoscere, qui fons posteriore capitis parte lateat: praeter Eunum quattuor illustres viros Graecos Plutarchus nominat, unum Romanum, Mucium τὸν νομικόν, scilicet P. Scaevolam pontificem, quem vit. Tib. Gracchi 9 (cf. Diod. 38, 17) νομοδείκτην appellat, nam filium Q. Mucium C. Marius iugulavit; quare non annalistam quendam Romanum subesse evincitur, sed Graecum auctorem primi fere a. Chr. saeculi, quod de Herode rege Iudaeorum Plutarchus tacet, eumque philosophum, qui optime Pherecydem ut θεολόγον significet; ceterum praecipue stoicos philosophos de phthiriasi scripsisse mox videbimus. Nunc fontem ex ipsis Plutarchi verbis accuratius definire conabimur, qui illis quinque nominibus allatis mirum in modum [1]) sic pergit: εἰ δὲ δεῖ τῶν ἀπ' οὐδενὸς μὲν χρηστοῦ γνωρίμων δ' ἄλλως ἐπιμνησθῆναι, λέγεται τὸν ἄρξαντα τοῦ δουλικοῦ πολέμου περὶ Σικελίαν δραπέτην Εὔνουν ὄνομα μετὰ τὴν ἅλωσιν εἰς Ῥώμην ἀγόμενον ὑπὸ φθειριάσεως ἀποθανεῖν. Cur tot verba de illo fugitivo? cur tandem servi mentionem fecit? hercle propter fontem Plutarchum hoc exemplum posuisse iudicamus vel, ut uno verbo dicamus, Eunus fugitivus in fonte praecipuas partes egit, de bello servili auctor eius scripsit; quid? quod Scaevola Euni aequalis fuit. Iam de Posidonio [2]) cogitamus, qui Euni Apamensis vitam verbosius enarrare non dubitavit; quod etiam verisimilius fit, ubi quae ceteri rerum scriptores de Pherecyde et Callisthene tradiderint perlustravimus.

---

argumenta parum potentia proferat; primum enim ad „gravitatem" Posidoni conferas Strab. 16, 755, tum phthiriasis ridicula fabula est nostra quidem sententia veterum non item, nisi vero Aristotelem et Theophrastum graviorum auctorum numero expellis.

1) Ab Appiano Mithr. 109 Spartacum similiter induci videmus: Σπαρτάκωι τε μονομάχωι . . . ἀνδρὶ ἐπ' οὐδεμιᾶς ἀξιώσεως ὄντι.

2) Quod Diodorus 34, 2, 23 Murgenti Eunum occidisse dicit, nihil refert; certo captivus in potestatem Romanorum venit.

Narrationum de morte Pherecydis duo genera internoscenda sunt: sunt qui eum senem a Pythagora discipulo, cum gravi morbo occubuisset, sepultum esse dicant; sic apud Diodorum 10, 3, 4 legimus addito tantum Pythagoram, ubi primum de morbo magistri certior factus esset, Delum accurrisse. Similia iam Aristoxenum tradidisse e Diogene Laertio 1, 11, 118 scimus; eorum autem auctorum, qui Pythagoram non casu Deli fuisse sed nuntio morbi Pherecydis accepto illuc migrasse ferunt, nescio an vetustissimus Satyrus sit (ib. 8, 8, 40).

Altera series scriptorum solitos casus phthiriasis explicare mavult quam Pherecydis mortem depingere; quam ob rem genere morbi demonstrato illi non multa exempla addiderunt; hoc sensu, qui primus nominandus est, Aristoteles philosophus ad morbum magis respicit quam ad nomina quae affert Pherecydis aut Alcmanis (hist. de anim. 5, 31 p. 557a), Theophrastus vero (de caus. plant. 2, 9, 6) nomina omnino neglegit; eodem modo plerique medici scriptores — conferas Galenum περὶ θηριακῆς 16, Oribasium, Serenum, Theophanum Nonnum, alios — ut phthiriasim descripserunt, ita catalogum mortuorum non dederunt. At nonnulli stoici auctores[1]) certa nomina memoriae tradere et phthiriasim Pherecydis cum Heracliti hydrope componere non dubitaverunt; quibuscum Heraclides Ponticus iungendus est, qui Plinio[2]) n. h. 7, 172 auctor fuit; nam „serpentes“ quas habet graece sunt „ἑρπετά“, quod vocabulum cum eiusdem significationis verbo φθεῖρες mutat Diodorus 3, 29, neque absunt σκώληκες Flavi Iosephi antiq. 17, 168.

1) Plut. de commun. not. 9, 7 sq. = p. 1064a.

2) Cf. indicem libri primi et Heraclid. frag. 10, 4 apud Muellerum Fr. H. G. II 215; adde quos locos E. W. Sturz collegit: Pherecydis fragmenta Lipsiae 1824 p. 14—26, qui tamen silva materiae haud prospere usus est Pherecyde philosopho cum logographo perturbato.

Postremo ambae quas separavimus traditiones ab recentioribus ita confundebantur, ut Pythagoras Pherecydi phthiriasi mortuo iusta solvisse diceretur; sic Nicomachum secuti Porphyrius vit. Pyth. 55 et Iamblichus vit. Pyth. 183. 251 tradiderunt; consentit Apuleius Flor. 15 nec procul est narratio Diogenis Laerti 1, 118 contra Aristoxenum posita, quam fonti Aeliani var. hist. 4, 28, quisquis fuit, inferiorem esse collatis narratiunculis apparet.

Callisthenem phthiriasi occidisse Chares [1] Mytilenensis Alexandri Magni εἰςαγγελεὺς finxit, cui minus quam ceteris rerum scriptoribus credendum est; Ptolomaeus et Aristobulus historiae Alexandri gravissimi auctores notissimae illius coniurationis [2] puerorum regiorum partes Callisthenem habuisse consentiunt; qui consilio nuntiato, ut Ptolomaeus [3] refert, laqueo suspensus est, sed Aristobulus [4] eum vinctum catenis morbo quodam decessisse perhibet; quem morbum, ut supra commemoravimus, primus Chares phthiriasim declaravit, cum alii [5] Lysimachum magistro, cuius eum miseruisset, venenum subministrasse narrarent.

Quibus examinatis Posidonium ea quae e stoicis aliorumque libris noverat ad Euni mortem describendam collegisse et Scaevolae nomen addidisse verisimillimum est. Ceterum post Plutarchum, qui Sullam adscripsisse videtur, index iam non auctus est, nam ceteri scriptores qui phthiriasim commemorant partim [6] Sullam et Alcmanem, alii [7] Sullam et Pherecydem, alii [8] Acastum Pherecydem Sullam habent; neque Herodis nomen huic catalogo ullus auctor adiunxit.

---

1) Plut. vit. Alex. 55. 2) Arrian. anab. 4, 14, 1; Curt. Ruf. 8, 8, 21.
3) Arrian. l. c.; Plut. l. c. οἱ μὲν... 4) Arian ibid.; Plut ib. οἱ δὲ...
5) Trog. Pomp. apud Iustin. 15, 3, 3—6. 6) Plin. n. h. 11, 114.
7) Pausan. perieg. 1, 20, 6 cuius capitis fontes cognoscere non tanti est, quod e memoria, ut saepissime libro primo, Pausanias scripsit multaque conturbavit.
8) Hellad. apud Phot. cod. 279 = pag. 533 a 1 Bekk.

Tabula chronologica bellorum servilium.

(Numeri paginas dissertationis indicant.)

Anno
a. Chr. n.

137 Manlius praetor Siciliae provinciae praeest 32, leviores servorum turbae 32 sq.

136 *Brutus adversus Callaecos feliciter pugnat 27, adversus Vaccaeos Lepidus rem male gerit 27;* Lentulus praetor Siciliae 32.

135 *Numantinum bellum haud prospere geritur 27;* Aetna mons maioribus solito ardet ignibus 27, in Sicilia provincia, quam Calpurnius Piso h. a. regit 32, Euno duce vastus servorum tumultus oritur 27; senatus L. Plautium Hypsaeum in Pisonis locum mittit 29 sq. 32.

134 Patres conscripti, cum iam non tumultus, sed bellum gerendum sit 26, C. Fulvio Flacco cos. Siciliam prov. cum copiis non mediocribus mandant 30, 39 sq.; *qua de causa P. Cornelio Scipioni, qui ad bellum Numantinum proficiscitur, exercitus denegatur 40.*

313 *Attalus rex Pergami moritur 27. 29; Tib. Sempronius Gracchus necatur 27, 29, 37.* Propter fugitivorum Siciliensium exemplum Romae, Sinuessae, Minturnis, Deli, in Attica motus servorum exsistunt 29, 33 sq.; in Sicilia L. Calpurnius Piso cos. vario eventu pugnat 40, Mamertium capit, Hennam frustra obsidet. *Numantia diruta 34.*

132 P. Rupilius cos. quaestionibus de sociis Gracchanae seditionis cum collega exercitis in Sicilia Catinam, Tauromenium, Hennam capit, servos devincit 40 sq.; propter caedem Gracchanorum expiandam Hennam ad Cererem legati mittuntur 38.

131—129 *Aristonicus cum Heliopolitanis contra Crassum Mucianum, Perpernam, Aquillium pugnat 17, 28, 37.*

Anno
a. Chr. n.

105 *Pr. Non. Oct. uterque consul apud Arausionem gravem cladem accipit* 41.

104 *C. Marius Kal. Ian. de Iugurtha triumphat, consulatum init, mox copias ad bellum Cimbricum comparat 41.* Motus servorum Nuceriae et Capuae celeriter oppressae 42, 78; P. Vettium cum mancipiis tumultuantem L. Licinius Lucullus pr. coercet 42. Reclamante Nicomede rege Bithyniae 12, 1. 41 S. C. fit de Bithynis in Sicilia servientibus; propter perfidiam Licini Nervae novi tumultus oriuntur 42; M. Titinius cum praesidio Hennae urbis fugatur (Diod. 36, 4, 3); Salvio rege facto mancipia Nervae copias opprimunt, Murgentium oppugnant (Diod. 36, 4, 6—8); simul circa Egestanorum et Lilybaetanorum regionem Athenio copias colligit 10, 11; Triocala caput regni servorum (Diod. 36, 7). *M'. Aquillius praetura fungitur 45.*

103 Cum in Sicilia bellum auctum sit, senatus Lucullum XVII milia militum conscribere iubet 42 sq.; Lucullus apud Scirthaeam servos gravi proelio

superat (Diod. 36, 8), sed in obsidione Triocalorum oppidi detrimentum capit. *Bello Cimbrico Aquillius nobilissimus in exercitu C. Mari legatus 45.*

102 Lucullo C. Servilius succedit 42 sq.; Salvio Tryphone mortuo Athenio copias accipit 22, qui Macellam opp. munitionibus firmat 44. *Battaces Romae versatur 46, 1; Archias poeta a Lucullis domum recipitur 44.*

101 M'. Aquillius cos. in Siciliam mittitur 44 sq.

100 M'. Aquillius servos devincit, Athenionem occidit Diod. 36, 10; *Romae Q. Caecilius Metellus voluntarium exsilium sibi consciscit 44 sq.; L. Apuleius Saturninus tr. pl., C. Servilius Glaucia pr. a. d. IV. Id. Dec. necantur 45.*

99 M'. Aquillius Siciliae prov. res constituit.

98 L. Domitius pr. Siciliae 45. 4.

Anno
a. Chr. n.

73 Circa Idus Octobres (81) pauci gladiatores (67) Capua egressi, magnis fugitivorum copiis coactis Novembri mense Campaniam (81 sq.), Decembri Lucaniam (82) populantur, Thuriis hibernant (57, 83).

72 Spartacus, dux servorum, Metaponto Samnium petit (83); Gellius Lentulusque consules sex legiones conscribunt (83); Q. Arrius pr. pr. Crixum apud Garganum montem vincit (84, 1); Spartacus primum Lentulum in Apennino monte fugat (84, 2), deinde Gelli Arrique iunctos exercitus superat (84, 3), tum consulum

praetorisque universas copias vincit (84, 4), postremo septentriones petit[1]).

Mense fere Sextili[2]) M. Licinius Crassus comitiis in insequentem annum pr. creatus (85 sq.) consulum copias accipit. Spartacus C. Cassio pro cos. Galliae Cn.que Manlio pr. victis (85, 1) in finibus Piceni Mummium fugat[3]); sed Crassus primum X milia Spartaceorum[4]), tum ipsum ducem opprimit, in Samnium propellit[5]); anno ad finem vergente per Lucaniam facto itinere Spartacum in Bruttio includit[6]), qui cum praedonibus paciscitur (87, 1). — Senatus imperium belli Pompeio et Lucullo cum Crasso communicat (61, 87 sq.).

71 Spartacus per vallum fossamque Romanorum in Lucaniam perrumpit; Crassus manum quandam mancipiorum apud Lacum Lucanum opprimit, paulo post Gallos Germanosque cum Casto et Gannico ducibus vincit[7]), ipsum Spartacum ad

---

1) Plut. Crass. 9 ὠϑουμένωι; „festinanti" an „pulso" non elucet; si hoc, consules Spartaco, si C. Cassium aggrederetur, a tergo fore speraverunt. Captivos tunc omnes dux servorum necavit; App. b. c. 1, 117; cf. quae Franclin Arnold l. c. 102 contra Drumann l. c. IV 77 exponit.

2) Quo mense duobus annis post comitia habita sint, Cicero in Verr. act. I § 17 et 30 dicit; tunc consules comitia, cum Spartacus Galliam diriperet, habuisse verisimile est.

3) Plut. Crass. 10; App. b. c. 1, 118; cf. p. 58 sq.

4) App. ib.; Oros. 5, 24, 6. 5) App. l. c. 1, 119; v. p. 60.

6) App. b. c. 1, 118; Plut. l. c.

7) Liv. ep. 97: Oros. 5, 24, 6; Frontin. strateg. 2, 4, 7; 2, 5, 34; Plut. l. c. 11; ad Casti et Gannici sive Canici nomina cf. C. I. L. II 5591; C. I. Rh. 1823; Holder: Altkelt. Sprachschatz p. 735 et 836; Germanos primum Spartacio bello a Gallis secerni videmus, cum Cimbrorum et Teutonorum temporibus Romani has gentes inter-

Silarum flumen aggreditur[1]); qui primo ad Petelinos montes recessit[2]), sed brevi post, cum iterum per Lucaniam iter faceret, ut Brundisium perveniret[3]), in Apulia[4]) cum exercitu oppressus interiit.

Pompeius Perperna anno ante victo Uxamaque et Calagurride oppidis expugnatis (88) ex Hispania redux nonnullos fugitivos in Etruria concidit (89); medio anno cum Crasso consulatum petit (87).

---

noscere nondum potuissent. — Ceterum neque Cantenna neque Camalatrum, apud quae oppida Germanos a Crasso victos esse Frontinus narrat, nota sunt.

1) Oros. 5, 24, 6. 2) Plut. Crass. 11.

3) App. b. c. 1, 120; congruit Plutarchus cap. 11, qui per Lucaniam servos profectos esse tradit.

4) Eutrop. 6, 7: „victique sunt in Apulia a M. Licinio Crasso“; Appianum consentire videmus, qui Spartacum Brundisium petivisse dicit. Ampelius lib. mem. 45, 3 „in Lucania a Crasso . . . opprimuntur“ scribit; melius scriberet „haud procul a finibus Lucaniae“, cum prope Tarentum Spartacus obisse videatur.

Indices.

(Numeri paginas et notas dissertationis indicant.)

a) Index auctorum.

b) Index verborum, de quorum usu vel significatione in hac dissertatione agitur.

VITA.

Natus sum Gustavus Augustus Georgius Rathke Berolini die 27. m. Apr. a. 1880; patrem Fridericum Carolum matremque Margaretam e gente Oelze praecipiti sorte mihi ereptas esse doleo. Fidem profiteor evangelicam.

Rudimenta litterarum Berolini in gymnasio Luisenstadiensi didici, sed quinto anno Isenaciam in scholam latinam S. Georgii, gymnasium Carolo-Fridericianum, quod tunc floruit rectore Hugone Weber, me numquam paenitebit migrasse. Ibi cum et Paulus Krumbholz et alii magistri, ut historicis studiis operam darem, me compulissent, maturitatis testimonium in gymnasio Friderico-Guilelmo Berolinensi regente Ricardo Noetel vere anni 1899 nactus, ad eiusdem nominis almam litterarum universitatem me contuli. Per decies sex menses lectiones audivi, quas habuerunt professores philologi Diels, Guil. Schulze, Vahlen, de Wilamowitz, historici Delbrueck, Dessau, Erman, Hirschfeld, Koehler †, Lenz, Scheffer-Boichorst †, Tangl, archaeologi Kalkmann, Kekule, philosophi Lasson, Stumpf, iuridicus Oertmann. Proseminarii philologici, exercitationes moderantibus d. d. v. v. Diels, de Wilamowitz, Heinze, Helm, sodalis ordinarius fui per V semenstria; exercitationibus historicis benigne me admiserunt v. v. d. d. Hirschfeld, Lenz, Ed. Meyer, Scheffer-Boichorst †, Sternfeld, Tangl, geographicis Sieglin, archaeologicis Kalkmann, philosophis Lasson, grammaticis Schulze.

His omnibus, qui me docuerunt viri clarissimi, maximas gratias ago, candidissimas autem cum Udalrico de Wilamowitz-Moellendorff, qui Graecis Romanisque litteris me initiavit, tum Ottoni Hirschfeld, qui studiis meis historicis benevolentissimo animo semper favit summaque liberalitate hanc dissertationem per duos annos prosecutus est; quibus quantum debeam numquam obliviscar.

Examen philosophicum die 12. m. Nov. a. 1903 sustinui.